This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

2963
5
67

URBS ET ACADEMIA MARPURGENSIS

SUCCINCTE DESCRIPTA ET TYPIS EFFORMATA

A

WILHELMO DILICHIO.

LIBRUM AUTOGRAPHUM BREVIBUS ANNOTATIONIBUS INSTRUCTUM

EDIDIT

JULIUS CAESAR

PROFESSOR MARBURGENSIS.

MARBURGI.

IMPENSIS N. G. ELWERTI BIBLIOPOLAE ACADEMICI.

MDCCCLXVII.

eorum quae sub ipsius ex Hassia discessum et paulo post evenerunt, alia in vitas professorum retulit, alia eodem fere tempore facta neglexit, alia ita tetigit, ut numeris postmodum explendis spatium vacuum relinqueret; ut Joannem Winckelmannum theologum finem vitae habuisse a. MDCXXVI literarum ductibus paulo diversis a ceteris, sed eandem manum prodentibus postea adiecit, aliorum obitum incidentem in eundem annum atque adeo priorem non commemoravit, Antonii Matthaei professoris iuris discessum ita indicavit, ut annum MDCXXV, quo ille ad Groningenses abiit, primis tantum notis designaret spatio relicto, eademque ratione usus est, ut unum exemplum ex pluribus addamus, in tradendo Joannis Crocii ad Cassellanos reditu post academiam ad Ludovicum Juniorem Darmstadinum Principem a. MDCXXIV translatam. Atque nullum omnino vestigium certum reperimus, quod post a. MDCXXVI Dilichium huic operi manum admovisse ostendat, praeter Gregorii Schoenfeldii senioris mortem, indicatam signis numeri non integris, quam Striederus quidem (XIII, p. 177 sq.) gravissimo usus testimonio ad m. Novembrem MDCXXVIII refert. At cum virum prae ceteris insignem Rudolphum Goclenium, qui m. Junio eiusdem anni decessit, in vivis habeat, et ne Mentzeri quidem ineunte anno MDCXXVII exstincti obitum tetigerit, non videmur nobis nimis hariolari suspicantes, illum virum iamdudum decrepitum per errorem ab auctore nostro prius inter mortuos esse relatum quam extremum halitum efflasset. *) Quod Hermannum Vulteium, splendidissimum academiae nostrae quondam decus, »annos nunc quinquaginta integros forensibus et scholasticis laboribus« operam dedisse dicit, ad annum MDCXXV referri potest, cum ille a. MDLXXV ad primum officium publicum accesserit. Denique id non est praetermittendum, quod Wilhelmi Sapientis et Ludovici IV. opera academiae reformationem susceptam et »anno abhinc quadragesimo quinto perfectam« esse refert; quae verba nihil obstat quo minus statuamus a. MDCXXVI scripta esse — superiori enim tempori ea assignari non licet per ea quae de Georgio Landgravio statim adduntur —, cum post leges a. MDLXXV retractatas in generalibus ecclesiae Hassiacae synodis usque ad a. MDLXXXII habitis haud pauca ad academiam pertinentia constituta, atque ipso etiam a. MDLXXXI professorum stipendia aucta sint (cf. Heppe Gesch. d. hess. Generalsynoden II, p. 218 sqq.).

---

*) Dubitationem augere possit mirus scriptorum de fatali Schoenfeldii anno dissensus, cuius tamen origines e variis erroribus facile explicari possunt. Dilichius enim haec scripsit: *Senex autem jam annum ingressus Cassellis tandem anno MDCXX naturae satis fecit.* Unde Paulus Freherus in Theatro vir. erud. p. 408, qui Dilichii libro usus est, neglecto spatio vacuo annum MDCXX desumsit. Tilemannus autem in Vit. prof. Marb. p. 185 temere ista verba ita immutavit, ut omisso v. *senex* annum MDCXVIII poneret, mortuum esse eo anno quo Jo. Crocius ei successit affirmans; sed in manifesto errore versatur, quem nostra memoria Tholuck Vorgesch. d. Rationalismus I, 2 p. 387 n. 179ª argumento futili sustinere conatus est; nam a. MDCXVIII *dimissum* esse Schoenfeldium hemiplexia iam antea correptum, neque vero *mortuum* et Annales academici referunt et Dilichium secutus Tilemannus ipse in vita Crocii enarranda p. 201. Hinc etiam corrigenda sunt quae apud Striederum p. 177 de eius morbo leguntur; ipsum autem mortis annum praeter ecclesiasticos, e quibus ille hausit, fontes confirmat Pistorius propyl. Athenaei Hass. Giss. 1665. 4. p. 7.

Egressus igitur e patria Dilichius non statim, sed paulo post videtur opus ad celebrandam academiae patriae gloriam susceptum ita neglexisse ut ne certum quidem finem ei imponeret. Atque fragmenti speciem refert hic liber ea ipsa re, qua maxime insignis est, imaginibus principum et professorum artificio non contemnendo per ligna incisa expressis, quarum quidem pars glutine insertus, plerisque locus praeparatus est. Praeterea ubi cuius vita adumbratur, obitus vero nondum attingitur, in fine narrationis plerumque spatium nonnullis addendis relictum est. Denique haud pauca in ipso scripto emendata vel in margine adiecta atque integrae scidae insertae librum non uno tenore confectum esse demonstrant.

Sequitur ut libri dispositio paucis explicetur. Post indicem, quem supra descripsimus, aliquot paginae vacuae exstant praefationi, ut videtur, destinatae; tum ex more illius aetatis operi ipsi praemittuntur carmina ad librum lectoribus commendandum composita, Hermanni Fabronii poetae laureati *epigramma in Academiam Marpurgensem sive librum historicum Wilhelmi Dilichii continentem imagines et vitas professorum* e sex distichis constans, et Cratonis Seyleri *ad lectorem de concinna Marpurgensis Academiae descriptione a Guilielmo Dilichio Apolline et Musis faventibus elaborata Προαύλιον,* quadraginta tres versus heroicos complectens, cuius exitum — ne quis parvum scilicet suspicetur fuisse apud poetas populares et Dilichii et academiae nostrae honorem — in medium proferre liceat:

Crede mihi non tot Danaos patefactus ad auras
Reddere equus potuit, quot pulpita docta Lycei
Formavere viros, varias misere et in oras.
Quid, si scire velis lector cumulatius isthaec,
Pieridumque choros tibi sit cognoscere curae;
Aut didicisse iuvet, quae sint primordia coetus
Vel qui progressus, non te volvisse pigebit
Et spectasse simul doctos in imagine vultus,
Dulichius quos ipse manu confinxit et arte.
Nam nec Parrasius melius pinxisset et isthaec
Nec Zeuxis, coluit summe quos grata vetustas.
Maior at illa tamen laus est, quod pectora pingit
Is, calamoque oculis dotes prope subiicit ipsas
Ingenii. Micet aeternum sic mentis imago.

In prima ipsius libri parte, cuius octo paginas typis impressas exstare diximus, disseritur de situ Marpurgi, de forma et operibus urbis, de urbis incremento, in secunda de academiae Marpurgensis fundatione, de immunitatibus academiae, de progressu et incremento Marpurgensis academiae; sequitur rectorum catalogus inde ab anno MDXXVII usque ad annum MDCXXII. Maximam vero partem tenent vitae professorum hac serie deinceps enarratae, ut suo cuique in ordine locus tempori conveniens datus sit, imaginibus exornatae, versibus a variis poetis in eorum laudem compositis illustratae pleraeque.

Quaenam postea fuerint libelli fata, non satis constat. Post obitum Lynckeri, eloquentiae usque ad a. MDCLX professoris, qui vitas professorum enarrare voluerat, de edendo per alium professorem libro Dilichiano cogitatum est, quamobrem curatores rebus academicis recognoscendis a principe constituti a. MDCLXII sciscitati sunt, cuius in manibus esset opus et principibus et academiae decus allaturum, ut ea de re ad Landgravium referrent; id quod traditum legimus in recessu quem dicunt academico illius anni. Usus est eo Paulus Freherus in conscribendo *Theatro virorum eruditione clarorum*, Noribergae a. MDCLXXXVIII edito, neque alii, qui res tractaverunt ad academiam nostram pertinentes, eum prorsus neglexerunt. Apographum eius partis, quae vitas professorum philosophiae continet, asservatur in bibliotheca publica Cassellana. Vitas professorum theologiae e codice nostro desumtas Jo. Tilemannus, philosophiae practicae in academia nostra professor, inseruit libro suo Marburgi a. MDCCXXVII edito qui inscribitur: *Vitae professorum theologiae, qui in illustri academia Marburgensi a sua fundatione ad nostra usque tempora docuerunt.* Reliqua nondum in lucem prodierunt, nobis autem non indigna visa sunt, quae oblata libellorum academicorum opportunitate ad communem vel utilitatem vel oblectationem ex antiquarum rerum hodiernique status comparatione petendam paulatim ederentur.

URBS ET ACADEMIA MARPURGENSIS SUCCINCTE DESCRIPTA TYPISQUE EFFORMATA.

DE SITU MARPURGI.

Si qui immortalitatis digni sunt praeconio famaque perenni, illi certe sunt, qui sese ita abdiderunt literis, ut non remissionem solum animi ex earundem studiis petendam, et in domestica exercitatione atque umbratili consenescendum putent sibi, verum ad communem, quae didicerunt, fructum afferre praecipue concupiant omnia. Nam hi quidem illa ipsa, quae magno labore, cura et impensis hauserunt aliunde, non, sicut propria, esse sua atque a se possideri volunt; sed summa faciunt omnia, ut iis, qui eodem studiorum delectantur genere, omnes tenuissimas particulas atque minima mansa omnia, veluti infantibus pueris nutrices, in os inserant, eosdemque doctrina institutos liberaliter atque rerum imbutos usu in suggestu, pulpitis, subselliis atque oculis adeo hominum et luce constituant. In illorum autem cum primis classe collocandi nobis sunt, qui in Academiis docentes omne tempus atque aetatem consumunt, ut juventutem ad humanitatem fingant atque virtutem. Horum enim virtus ut fructuosa aliis, ita ipsis laboriosa est et pene gratuita. Ideoque cum id multum cogitassem mecum et diu, indignissimam rependi mercedem iisdem, siquidem eorum vel temporis injuria vel hominum socordia obrueretur memoria et nomen, qui, ut aliorum nomina in memoria essent posteris, summo studio atque labore effecissent ipsi, id mihi sumpsi, ut virorum quorumque doctissimorum, qui in cele-

berrimis Germaniae Academiis, e quibus, veluti equo Trojano, artifices et magistri exissent propemodum infiniti, cum laude docuissent atque fructu, vitam literarum monumentis descriptam propagarem posteritati. Sed enim quia immensus est, quem peragrare constitui, tractus, cursus ipse veluti metis quibusdam distinguendus, et cohibendus est, ne in infinitum feratur. Quocirca laborem hunc meum a Patria Academia, quam superiori seculo Marpurgi Cattorum maximus ille heros Philippus Hassiae Landgravius aperuit, auspicari lubuit mihi, ut hoc quasi specimine illecti alii me doctiores aut in eandem mecum pariter incumberent curam, aut certe, si illud, quod e laboris magnitudine obrepere necesse est id molienti, defugere cupiant taedium, suggestu monitisque me juvent suis. Nam quemadmodum alioquin Rex ille Magnus

Edicto vetuit, ne quis se praeter Apellem
Pingeret aut alius Lysippo duceret aera
Fortis Alexandri vultum simulantia —

ita et illud optandum erat summopere a praestantissimis artificibus homines immortalitate dignissimos e tenebris eductos in majorum suorum veluti regno collocari. At vero quia suis quisque studiis deditus magis haec tanquam minutiora praeterit fere, ego autem iis, qui hoc in genere excellunt plurimum, ingenio et rerum usu comparandus non sum, id omni studio rogandus est mihi lector, ut non tam in orationis genere, quam historiae ipsius veritate mentem cogitationesque defigendas putet sibi.

Caeterum ut ad rem ipsam progrediar et me ad meum munus revocem atque pensum, *Urbs* ante omnia ipsa, tanquam Academiae ipsius sedes describenda nobis est, hac quidem serie atque ordine, ut priori loci *situm* ejusdem, deinde *formam,* postremo denique *incrementum* persequamur, ac *situm* quidem vel respectu *coeli* vel *loci* et commoditatis.

Coelestis autem *situs* in longitudine est graduum 30 et 25 minutorum, in latitudine vero 50 grad. ac 56 min. Sed respectu *terrestris situs,* haec nostra superioris Hassiae Principatus metropolis ad Lanum fluvium inter montes et nemora posita vario quidem situ, parte in vertice montis prominente, parte monti adhaerente, parte in angusta disposita planitie, sed loco tamen amoeno et commodo satis: ubi tot prospectus jucundi, tot hortorum decora, ubi tot antiquorum aedificiorum et simulachrûm structurae venerandae, tot doctissimorum et prudentissimorum virorum Professorum, Consiliariorum et Senatorum aulicorum, ac tot studiosae et optimae spei juventutis flores resplendent, ubi Musis omnibus gratissimus locus, ac rerum omnium proventus e rusticorum, qui in vicinia campos satis fertiles colunt, advectionibus (cum loci angustia pauca patiatur arva) ad civium et studiosorum atque aulicorum victum perquam opportunus: ubi denique magna aeris salubritas et rara pestis aut acutus alius morbus. Cujus causa poterit evidens esse placida coeli temperies, et sereni totius machinae coelestis aspectus, quibus Marpurgensem aeternus ille pater singulari quadam clementia dignatus est civitatem. Quae non solaribus nimium aestibus subjecta jacet, non frigoribus Borealibus nimium propinqua, sed temperatiore sub climate constituta est. Veruntamen si inclementior aliquando ac immitior aer (ut omnium rerum est vicissitudo) exurgit, longe plus utilitatis, quam incommodi is solet afferre secum. Sic enim ad omnes saevioris fortunae impetus assuefiunt, sic ad morbos superandos, sic ad durissimos labores perferendos exercentur et indurantur corpora.

Praeterea quoque celebris ille superioris Hassiae fluvius Lanus transit urbem, qui non modo plurima piscium educat et producit genera, sed etiam psoram et impetiginem sanare dicitur. Is in Comitatu Witgensteinensi ex monte, cui Horberg nomen, ortus Lasphe comitatus ejusdem alluit oppidum, indeque Bidencappium, Marpurgensem hanc urbem, Stauffenburgum, Giessenam, Wetzflariam Imperii urbem, Weilburgum Nassoviorum, Limburgum, Diecium ac Embsenses thermas allabens multis receptis amnibus prope Lohnsteinium Antistitis Moguntini oppidum in Rhenum sese exonerat.

Vineta tamen hic non refero, quae in Hassia praeter illam oram, quae Rhenum et Werrham attingit, rariora, sed vini usum non taceo, quia frequens hic propter Rheni viciniam, quae optima abunde suppeditat vina.

DE FORMA ET OPERIBUS URBIS.

Exposito Situ nunc ejusdem lustrabimus *Formam* et quidem duplicem eam, tum *aedificiorum*, tum vero *Reipublicae*, illamque *generatim* sub urbis icone, *speciatim* vero in descriptione et delineatione cujusque operis. Caeteroquin secundum situm varium varia quoque ejus forma. Nam arx in montis prominet jugo, cui deinde pars civitatis potior, in qua templum parochiale collegia, curia, grammatophylacium adhaeret. Huic autem e latere subjacet vicus longus horreis pomariisque constans. Pars altera bipartita est in planicie*) angusta quidem, sed amoena continens duo suburbia, alterum orientale, nomine Weydenhausen, ponte lapideo potiori urbis parti conjunctum et insulare, quo etiam comprehenduntur duo vici, der Grien vnd Bilstein appellati, et septentrionale alterum, cujus vici platea illa acclivior Steinweg dicta et urbis pars, quae ab eventu vocatur die Ketzerbach, cui contigua est Teutonici ordinis domus cum monasterio B. Elisabethae. Quam urbis figuram et habitum cum homine noster confert Hadamarius,**) Marpurgum, inquiens, non aliter atque homo princeps caput erectissimum, atque eminentissimum suis turribus, ut regio diademate, coronatum habet, nempe quam admiramini toties *ἀκρόπολιν*, arcem istam, quae candidam frontem suam***) velut inter nubila condit: cujus collum monili baccato suis velut unionibus irradians prominet, illinc nitidis primorum virorum palatiis, hinc illustrissima †) Principis sapientiae domo, quod *βουλευτήριον* aut *δικαστήριον* appellamus, exornatum. Corpus est tot membris et articulis i. e. domibus et palatiis insigne, quot intra moenia civitatis sita esse novimus. Pectus est ipsum templum. Curia ista, ut alimentorum dispensatrix, est stomachus. Utrumque Collegium, Pomoerii et Lani sunt praecordia. Duo vici, alter, quem vulgo den Grien, alter, quem Bylgenstein appellant, femora sunt aquis proxima, quod circum ea corporis partes crebris lotionibus indigeant, ideoque mediastinis assignati. Brachiorum alterum nempe dextrum est illud suburbium, cui nomen Weidenhausen, ad cujus manum gladius ultor adversus flagitia, locus videlicet carnificinae, quam facinorosi coguntur subire atque scelerati: sinistrum est ipsa platea, quam vernacula lingua den Steinweg vocitant. Pedes autem instar fortissimi bovis (juxta proverbium) altius in terrae viscera defixit. Sic dispessis veluti manibus et commodissimo suae vastitatis immobilioris anfractu, studiosos omnes, quasi gremio sinuoso, ut benignissimo, sic tutissimo complectitur et exosculatur.

Nunc speciatim de *operibus* urbis, quae sunt vel publica vel privata. Publica dicam *Arcem, Dicasterium, Templa, Collegia, Forum* et *Curiam*. Quod vero ad munitionem urbis nostrae attinet, ejusdem si muros spectes, fragilis est, at vero si civium et circumjacentium oppidorum, totiusque adeo Principatus Superioris ad Lanum militare aestimes robur, firmissima. Lapideo enim operi quod deest, id animorum fortitudo ac praestantia, et quod hominum artificiis, id natura loci, tot praeruptis undique montibus resarcit commodissime circumsepiendo.

*) Liber habet *planicie*. Talia non ex scripturae mendo nata retinuimus.

**) *Reinhardus Lorichius Hadamarius*, professione oratoria in academia Marburgensi functus, omisso nomine gentilicio nonnumquam solum cognomen e patrio oppido ductum ipse sibi induebat. Ex eius *declamatiuncula Marpurgensis Encomion Academiae continente, Marpurgi MDXXXVI habita*, quae edita est Francof. MDXXXVI et repetita in libro qui inscribitur: Panegyrici Academiae Marpurgensis. Marp. MDLXXX. 8. noster comparationem, qua utitur, desumsit, nonnullis tamen et in verbis et in re ipsa mutatis.

***) Hoc loco finita plagula typis exscripta incipit ipsa Dilichii manus.

†) Sic scripsit Dilichius, quamquam voluisse videtur *illustrissimi* cum Hadamario.

Arx Principum Hassiae sedes spectabilis et illustris cum Sacello, quod opus est Ludovici Monasteriensis Episcopi, Hessorum Landgravii, Henrici III filii, praecelsum montis occupat culmen, tresque areas castrum hoc Marpurgense non sine grata spectantium voluptate ostentat luculenter, quarum prima (ubi sunt portae binae, una, qua ex urbe ascenditur, altera, quae pomoerium, campum Martium et montem spectat) amplissima est atque aedificiis cincta magnificis. Hic Equile Principis visitur (Marſtall) et cisterna natalis rupi incisa. Altera editiore aliquantum in loco Arcis area tota urbem spectat, in cujus fronte novum Palatium extat a Wilhelmo Juniore constructum. Haec ob jucundam loci amoenitatem et in urbem planiciemque totam prospectum caeteris praestat. Tertia demum celeberrimi castri regio caeteris quidem angustior, ut editiore in rupe sita, ita elegantia et nitore priores longe superat, tota sumptuosissimis aedificiis clausa. Hic Principis Domus ac Gynaeceum magnificis coenaculis, tricliniis, aulis, hypocaustis decenter ornatur, privatoque Sacello. Hic quoque amplissimum illud coenaculum, quod idem Monasteriensis Praesul ex Hessorum Principibus condidit magnifice, conspicitur et totum eximia antiquitatis venustate se offert columnis structilibus testudinibusque absolutum.

Ubi vero Arx a reliquo monte abscinditur et fossa atque muro, ut et turribus et propugnaculis non ita pridem conditis dividitur, primum occurrit in ipso montis dorso *Catadromus* et *Hippodromus,* aedes spectandis exercitiis equestribus destinatae, et *Viridarium* arboribus atque variarum herbarum generibus ad voluptatem amoenitatemque et utilitatem consitum, quae omnia parem sui admirationem relinquunt intuentibus, ut dubites an major varietatis in distributione, an vero copiae in raritate, an industriae in cultu laus esse debeat?

Extra Arcem ad montis latus urbi contiguae aedes publicae sunt *βουλευτήριον* illud, in quo primo commune totius Hassiae *Dicasterium* (das Hoffgerichte) ubi sine diverticulis suum cuique jus summa cum laude et commodo universae dicitur Hassiae: Judicium deinde seu Dicasterium Ecclesiasticum, quod *Consistorium* vocamus, cui matrimoniales caussae, controversiae Ecclesiasticae, judicium de doctrina, cognitio de haeresibus, examinatio Pastorum eorundemque confirmatio et rejectio, ac de illorum vita ac moribus censura, sunt commissa: Ac tertio demum Dicasterium Aulicum (*Cancellariam* vocant nostrates) ubi parti tantum superioris Hassiae jus dicitur, ejusque deciduntur caussae. In eodem urbis tractu ad dextram moenibus contiguum est *Sphaeristerium* pilae lusui praestitutum, ad sinistram vero *Quaestorium* cum suis horreis et granariis.

Templa hujus urbis sunt tria in collegiis ac totidem in coemeteriis, unum *in arce*, unum *parochiale* inprimis magnificum satis, in quo Ludovicus IV sibi et uxori Hedwigi Wirtenbergicae elegit praestruxitque splendidum sepulchri monumentum, in quod illatus etiam Ottho, qui Hersfeldiae perierat omnibus desideratus: et prae caeteris nobile illud *B. Elizabethae fanum* ex quadrato lapide structurae magnificentia conspicuum Conradi Thuringorum et Hessorum Principis, Ordinis Teutonici *) Magistri, opus insigne, cujus binae turres sumptuosissimae ab ipsis fundamentis usque ad suprema culmina quadratis et pulchre formatis erectae sunt lapidibus. In hoc templo praeter B. Elizabethae sepulchrum etiam Principum Hassiae a Brabantino ad Philippum usque sumptuosae visuntur tumbae. Huic astructa quoque sunt *Xenodochia* et leprosorum domus, loca pietati et misericordiae consecrata, in quibus sat copiose aluntur egeni.

Forum Curia exornat speciosa et aqua fontana compluribus fistulis ac syphunculis **) emissa. Atque publica ita in hunc ferme modum habuimus aedificia: de privatis autem pauca.

Quae hic loci non lapidea, sed ut plurimum lignea in studiosorum tamen usum affabre

---

*) In cod. est *Teutinici.*

**) Sic pro *siphunculis.*

constructa majori ex parte abrupti montis lateri adhaerent: Et hic situs montosus et inaequalis platearum plurimas ascendentibus reddit laboriosas.

Habes hoc modo corpus quasi urbis delineatam, de anima, quae *Reipub: constitutio* qua *Religiosa*, qua *Civilis* seu *Politica*, pauca accipe. Religioni devincti sunt Ordinis Teutonici viri atque Academiae professores, quorum illis Commendator praeest, inter hos autem supremae dignitatis Rector Academiae in Praelatorum Hassiae numero censetur: Quibus deinde accedit Consistorium cum Ecclesiasticis.

Quod ad Politicum statum Magistratus Marpurgi clarent alii Majores, Minores alii. Praeter Principem ex Majori Magistratu sunt primo Assessores communis et supremi totius Hassiae Dicasterii cum suo Praeside, quem Hoffrichter dicimus vernacule; Deinde Cancellaria suo Praeside, Cancellario et Consiliariis conspicua. Magistratum *) autem Minorem, qui hujus loci subditos et cives respicit, constituunt Quaestor, Praetor seu Scultetus, Consul et Senatores urbis.

DE URBIS INCREMENTO.

Situm et Formam diximus, reliquum est *urbis Incrementum*. Verum enimvero hic dividiae mihi fuit jam dudum, condoluique saepius Majorum in rebus suis memoriae prodendis negligentiam, unde et maxima nunc incrementi hujus urbis pars jacet deplorata, initii videlicet memoria, rerumque exinde gestarum series, quae inprimis immortalitate videbatur dignissima. Sed enim dum circumspicis diligenter, scriptorum occurrunt alii, qui antiquitus *Mattiacum Cattorum* gentis Mattiacae caput situm affirmare audent. Alii vero eam *Amasiam* vel *Amiliam* Ptolomaei esse contendunt, qui non observasse videntur vicinum Amelburgum, et inferioris Hassiae fluvium Amasin: Nec desunt alii, qui a Martis idolo superstitiose ibidem culto urbi inditum nomen putent Latii forsan cupidiores quam par est. Alii a Marcomiro Francorum regis filio *Marcomiriburgum* ut aedificatum ita etiam dictum colligunt. Illi vero, qui a *Marpacho* rivulo etymi fontem eliciunt, ad veritatem accedere multis videntur propius, cum illos, qui a finibus proxime adjacentibus urbis appellationem derivant, ac *Marcpurgum* a Marck, quod terminum denotat, dici malunt, situs loci, qui longius a regionis terminis, refutet evidenter. Verum hujusmodi etymologiis, ut hoc interea moneam vel adjcere **) fidem vel demere Lectori liberrimum esto. Illarum enim certitudine nituntur paucae, plures ingeniorum lusu et conjecturis.

Annales nostri vetustam olim arcem a Marcomiro, qui circa annum Christi CCCXC floruisse dicitur, fundatam primitus, cum Hassis et Thuringis imperaret Athanaricus, restaurasse et ampliorem reddidisse addito ad montis radices pago ferunt Othonem quendam Hessorum et Thuringorum Marchionem seu Limitaneum praefectum annum circiter quinquagesimum supra millesimum. Eandem arcem cum B. Elisabetha marito defuncto elegisset, ut ibi sedem ac coenobium, ubi nunc aedes Teutonicae, fundaret circa annum M.CC.XXIX, pagus ille a parvis initiis cum aetate in oppidi formam accrevit simul, donec filius Elisabethae Hermannus Thuringorum et Hessorum Princeps eundem in matris pientissimae honorem et memoriam moenibus MCCXL anno cinxit, Hassiaeque constituit metropolim. Interea Conradus, Thuringorum et Hessorum Princeps, Teutonici Ordinis magister anno S. MCCXXXI prima monasterii posuerat fundamenta, quod annis fere quinquaginta duobus usque ad fastigium post fundatoris obitum, fuit absolutum plumboque contectum.

Neque splendoris parum ac famae acceperat Marpurgum e *B. Elisabethae Sepulchro*, ac

---

*) In cod. est *Migistratum*.

**) Sic ut edidimus scriptum a D.

principum perpetua ibidem sede, quando igne incensum domestico anno MCCLXI conflagravit et corruit. E flammis tamen ipsis et cineribus formosius civium industria emersit quodammodo, quam juvabat plurimum et sublevabat quotidie adventantium liberalitas immensa. Verum cladis illius vestigiis vix abolitis omnis illa opera et impensae periere denuo, atque urbs anno MCCCXI in fumum atque cinerem versa est tota: Ac licet non ita diu prostrata jacuerit et immersa ruderibus, sed incolarum praecipue studio et Principis favore ex cineribus excitata sit vel secundo, cladis tamen tantae vestigia superfuere omnino diu. Auxit igitur eam Ludovicus Monasteriensis praesul, Otthonis et Joannis Principum frater aedificiis magnificis ac in arce *Sacellum* et *Coenaculum* illud majus construxit anno MCCCXII, quibus postea Wilhelmus ex Hessorum Principibus Junior anno Sal. MCCCCXXCIV addidit *Aulam* in secunda area novam.

Et sic habes, Lector optime, silentibus propemodum *) scriptoribus omnibus initia hujus urbis nostrae et auspicia e quibus de ejusdem progressu et *incrementis* conjecturam capere possis facile porro. Eventus sane ostendit auspiciis illius condendae non minus quam progressui felicitatem secundi cursus adjutricem subfuisse. Nam uti ea, quae pravis instituuntur rationibus, quamvis succedant initio, infelicem tamen sortiuntur exitum: ita illis, quae rectis suscipiuntur consiliis, etiamsi qua incidat difficultas, quem optamus, laetus tandem contigit exitus. Quanquam autem longo post illa auspicia, ignotiora quidem, tempore nihil eidem, quantum nosse liceat, accessit decoris et incrementi, multo tamen cum foenore hoc postea fuit compensatum. Postquam enim adolescere coepit titulo et dignitate Metropolis ac sedis Principum, condecorata est et amplificata coenobiis, nundinisque aucta festo D. Elisabethae die annuis. Atque haec postea secuta sunt plurima hujus urbis ornamenta alia et quidem illa, quae jam sese offerunt et in promptu sunt *Dicasteria* et *Academia*. His eam auxit Philippus I. Hessorum Princeps Serenissimus, maximus ille patriae nostrae heros, qui plura de novo hic extruxit aedificia, plurima quoque reparavit, ita ut commodis et emolumentis urbis serviret ubique. Verum illud caeteris praestat longe beneficium, quod cum Musis in Hassia deligeret sedem, hanc potissimum seponendam censuerit urbem, in qua scholam publicam magnis prorsus aperiret impensis. Nam hoc equidem beneficium tantum est, ut quemadmodum in radio **) solis stellae, in hujus unius splendore ne reliqua quidem cernantur ornamenta. Certe si tritum sermone proverbium illud, quo *sapientiam et judicium cum aetate crescere* dicimus, de hac quoque civitate proferamus, haud ineptire videbimur magis, quam Seneca, quando civitatum tempora atque fata aeque ac hominum procedere ***) dicit. Quomodo enim sapientia magis instrui et judicio meliori ac saniori potuit informari atque hoc Lycaeo publicaque hac schola? quae cujus impulsu, quibus mediis, ad cujus normam et formam instituta, quomodo introducta, quibus privilegiis et beneficiis, reditibus fuerit adaucta, quot †) et quibus Professoribus excelluerit hactenus, sequetur in altera hujus libri parte. Illud solum hic addo et affirmare audeo, hanc Academiam cum aliis tam veteribus quam recentioribus, quae passim non paucae laudantur nobilissimae, collatam nulli vel utilitate vel celebritate esse secundam.

Praestituta insuper a *Philippo* et filio *Wilhelmo* hic loci sunt *Dicasteria* et *Judicia* certa et solennia, in quibus justitia ex aequo omnibus sine ulla *προσωπολημψία* administratur, quo instituto ad dirimendas controversias motas nihil utilius, nihil ad pacem publicam conservandam aptius, adeo ut hac ratione justitia et pax sese hic exosculentur invicem. Accesserunt porro huic urbi temporis progressu et alia neutiquam contemnenda, sed suspicienda prorsus ornamenta,

---

*) Dil. scripsit *promedum*.

**) Hoc loco inserta est imago Philippi Landgravii.

***) Imago Guilielmi IV. Sapientis.

†) Imago Ludovici Senioris.

atque inter ea Mauritii cura Episcopalis quasi sedes sive *Consistorium,* ut vocant, ac inspectio omnium Hassiae, quae tum sub Mauritio Hessorum principe, Ecclesiarum, quaeque superioribus temporibus Antistiti Moguntino in sacris parebant.

Post Philippum patrem quoque *Ludovicus III**) *Senior* cognomento nil praetermisit, quod ad cohonestandam et amplificandam hanc civitatem, fixam aulae suae sedem, pertinere videbatur: cujus Principis aedificia si spectes, utilissima ea sunt. Condidit enim in suburbio Weidenhusano excellentis operis et artificii *molam, trapetum* item, et *pistrinum, moletrinas*que conficiendae papyro et cudendo cupro destinatas: aedificavit etiam ad secundam arcis aream aedes panificio et cerevisiae coquendae constitutas: aedificavit denique villam proxime urbem splendidam ab olore denominatam. Das Fohrwerck zum Schwan.

Atque ita quidem maxima huic urbi ornamenta conciliarunt hactenus Principum Aula, Teutonicus ordo, Dicasteria et Academia, ut e paupere municipio opulenta, e parva magna effecta sit illa, et in tuguriorum atque casarum locum aedes subierint prorsus magnificae.

DE ACADEMIAE MARPURGENSIS FUNDATIONE.

Secundam hujus libri partem, *Academiae* videlicet descriptionem, nunc dabimus. Atque hanc quidem Academiam suspicere par est, laudare vero non necessarium. Quis enim sedem omnium bonarum artium, immo fontem, e quo multi Sapientiae, Justitiae, Pietatis, Integritatis et Eruditionis, quasi limpidissimi quidam et purissimi rivi in universas Europae defluunt regiones, nisi insipiens aut rerum omnium rudis laceret aut mordeat? Ad eam igitur pergentibus describenda erit illa nobis in *genere* primum, ubi de *initiis* ejus quo ad *fundationem* et *immunitates,* ac deinde in *specie*, ubi de *civibus* et *membris* Academiae, quo ad *docentes* et *discentes* sigillatim.

Fundatorem haec jactat Academia *Philippum,* Hessorum principem serenissimum, heroa omnibus excultum virtutibus. Is, cum pacatis, post Rusticorum motus, in Hassia rebus et amotis pontificiis ritibus et caeremoniis Ecclesias suas et coenobia reformaret diligenter, iis, qui parati erant Pontificiis superstitionibus bellum indicere, certos in annos singulis constituit reditus, quibus se honestius sustentarent verboque divino vacare possent melius: pertinaciores autem libere dimisit, ut quocunque vellent proficiscerentur. Qua sua humanitate animique moderatione perfecit, ut omnes fere papatu repudiato redirent in viam, nec mutatione illa offenderetur quisquam. Proinde ut quasi domicilium certum esset, in quo vera doctrina de Deo et aliae artes linguaeque non adservarentur modo, verum propagarentur etiam et diffunderentur latius, indeque viri cum Ecclesiae, tum Reipub: gubernandae qui essent, prodirent complures, mature suorum procerum, ac imprimis *Joannis Ficini Lichtenavii* Cancellarii tum temporis Hassiae, honoris caussa merito hic inter primos nominandi, consilio MDXXVII S. anno hac in urbe, ubi natus et educatus fuerat, scholam aperuit publicam, evocatis hinc inde per stipendia ex proventibus Ecclesiasticis opima, quae *διδακτρα* Graeci, Latini Minervalia appellant, perquam commode, viris omni doctrinarum genere exercitatissimis ut vigilias votaque juventutis adjuvarent studiosae et quemadmodum aspectus a circumfuso aëre lumen accipit, ita mens a doctrina et haec ab institutione illustraretur **). Hoc modo, quod semel Deo dicatum fuerat ad alios

*) Eundem supra et infra dixit *quartum,* discrepantia satis vulgata.

**) In margine haec adscripta sunt, loco quo inserenda sint non indicato: Primi a. professores Academiae fuerunt Franciscus Lampertus Avinionensis et M. Adamus Craft Theologi, Joannes Ferrarius Juris, Ericius Cordus Medicinae, Hermannus Buschius poeseos, Sebastianus Augustus Nucenus Hebraeae linguae professores, quorum numerus paulatim adauctus, donec justum Academiae corpus principis constitueretur munificentia.

nequaquam transferebatur usus, sed abrogatis tantum Missis idque genus aliis pontificiis ritibus in magis pios convertebatur atque licitos. Quod opus, quae beneficentia publice utilissima, non minus honorifica tanto Principi existimanda, quam Adriano Imperatori, viros eruditos et ad docendum aptos undique conquisivisse et Bibliothecas instruxisse insignes; M. Antonino Philosopho Augusto, conductos annua mercede omnis disciplinae Doctores Athenis instituisse; Carolo M. Academiam Parisiensem magnis sumptibus extruxisse, et Friderico Imperatori gloriosissimo, omnes bonarum literarum professores et studiosos certis legibus munivisse. Certe eo facto hic noster Philippus majorem et diuturniorem peperit sibi gloriam, quam gestis confectisque bellis omnino omnibus. Caeteroquin de his legatur etiam Bernhardi Praetorii σχεδίασμα. *)

DE IMMUNITATIBUS ACADEMIAE.

Verum quanto studio, quanta cura et animi ardore Academiam hanc suam constituerit Philippus heros, testatum satis apud nos relinquunt tum illa coenobia, quorum proventus huic Lycaeo attribuit magnificentissime; tum *Immunitates, Leges* scilicet et *privilegia* maximo studio optimoque jure sancita atque firmata, quae ad honorum amplissimorum titulos consequendos et ad vitam in studiis suavius liberiusque transigendam pertinerent, multis precibus sumptibusque a Carolo V. Imperatore ter maximo impetrata, quibus is edicit serio eandem illam Academiam eo in loco et precio habendam, quo quaevis alia in Imperio Romano. Id etenim in confesso est et comperto nullam hominum societatem coalescere et perdurare posse minus tranquillam, nec liberales quoque artes ipsas ad usum vitae tradi, nec hominum voluntates ad virtutem flecti sine decore et ordine, qui rerum omnium caput, posse, nisi legum nexu compingantur et vinciantur. Quapropter sapienter admodum ab hujus Academiae primordiis a Principe fundatore provisum, ut non solum Academia optimis legibus esset constituta, verum illae quotannis etiam in publico coetu scholastico recitarentur. Quandoquidem enim Respubl: omnino omnis praemiis ac poenis veluti arctissimis societatis publicae vinculis continetur, legum munienda fuit repagulis eadem, ut quae bona essent et salubria amplissimis decorata praemiis influerent ac illaberentur in civium animos suavius, ea vero quae mala atque perniciosa, si non virtutis amore, at certe poenae metu funditus convulsa eliminarentur atque evellerentur. Ideoque uti sine mente corpora nostra, ita neque suis partibus, tanquam nervis, sanguine et membris, sine lege uti potest civitas et inprimis literaria, utpote cujus potissima pars in juventute consistat, quae in affectus magnam partem effusa atque perturbationes animi quasi freno laxato, qua lubet vel per nefas vetitum ruit in perniciem suam concitatissime. Quocirca si ullo hoc certe vinculo illiganda fuit Academia et devincienda, ut certissima omnibus esset securitas, literarumque studia, quae inter caecos rerum motus atque tumultus non possent, in liberalissimo ocio atque quiete tanto efflorescerent et in fructus sese suavissimos profunderent latius.

Porro cum legibus animam veluti atque robur a Magistratibus, hoc est, quibus ceu magistris cura rerum praecipua incumbit, reliquisque cum imperio et potestate veluti legum ministri atque interpretes praesunt, indui indubitatum sit, Principi etiam fundatori placuit, ut singulis annis novus crearetur *Rector*, qui caput et quasi princeps esset Academiae et cui parerent omnes. Hujus igitur officium est Album asservare, jus dicere, privilegia tueri, et scholasticos culpae affines poenis afficere. Hunc, quando in publicis actibus progreditur in

*) De *Bernhardo Praetorio,* Jesbergae a. MDLXVII nato et a. MDCXVI mortuo Norimbergae, ubi munere syndici et bibliothecarii functus erat, pauca refert *Strieder* T. XI, p. 151, plura quo is usus est teste, *Will* Nürnb. Gel. Lex. III, p. 231 sqq. Schediasmatis, quod D. laudat, neque ab eo neque ab aliis mentionem factam reperimus.

publicum, antecedunt accensi, quos *Pedellos* recepto illic vocabulo appellant, singuli manu argenteum gestantes baculum honoris amplissimi insignia. Est etiam suus praeterea Academiae *Vicecancellarius* et *Syndicus* uterque juris peritus: Sunt et ipsi *Facultatum Decani* et *Oeconomus*.

Verum enimvero cum in ejusmodi scholis publicis diversa degant ingenia eorum, qui se *Studiosos* profitentur, quorum alii modesti ac diligentes, sponte jussa legum faciunt in id intentiores, ut, quod semel ingressi literarum stadio decurrendo tandem aliquando optatam assequantur eruditionis metam: alii desides et refractarii nisi legum vinculis coerceantur et exhortationum objurgationumque stimulis, visum fuit utrisque aliquo *censurae* consulendum instituto. Nam hi inter ejus exercitium et objurgationis pudorem vel poenae metum, si sanabiles modo, ad officium adducuntur, sin vero desperati e coetu numeroque studiosorum excluduntur, ne exemplo aliis noceant suo: illi vero dum diligentiae, industriae et probitatis suae honorificum a praeceptoribus suis ferunt testimonium et omnium voce collaudantur, laudata illorum crescit virtus.

DE PROGRESSU ET INCREMENTO MARPURGENSIS ACADEMIAE.

Insignis optimi Principis fundatoris in novae Academiae Cives humanitas et liberalitas, qua indies magis ac magis hanc suam sublevabat et instaurabat Academiam, id effecit, ut quotidie efflorescceret ac famae atque gloriae succresceret illa quoque magis. Quam sane ad rem non parum etiam contulit tot tantorumque Professorum gravitas et non minus doctrinae, quam vitae sanctimonia, adeo quidem, ut quotquot intueare, tot Homeros, tot Cicerones, tot Platones et Aristoteles, tot Aesculapios et Apollines jure quodam dicere possis. Quare si Pythagoras, si Archytas ille Tarentinus,*) si Apollonius Tyaneus redivivi bonarum literarum et studiorum gratia nostro peregrinarentur seculo, non opus haberent illi quidem, ut Persas, Lacedaemona, Cretam, Aegyptum aliasque omnino regiones complures peragrarent, hic vero Caucasum laboriosissime transcenderet, Scythasve et Massagetas aut Albanos et ditissima Indiae regna percurreret denuo, cum multo minori temporis spacio rerumque jactura Marpurgi haec consequi posset omnia. Tanta viguit hic semper doctorum virorum industria, tanta cura, tanta in docendo assiduitas. Ex quorum**) paucos tantum (de singulis enim disserere nec hujus est loci nec instituti, cum alioquin summatim haec perstringenti verendum id sit, ne in immensum excrescat oratio) percensere mihi liceat, qui non una in re aliqua elaborarunt separatim, verum omnia, quaecunque essent, vel scientiae pervestigatione vel disserendi ratione comprehenderunt subtilissime. Atque inter illos quidem antiquiores familiam quasi ducunt Joannes Ferrarius primus Academiae hujus Rector et vicecancellarius, Jur. U. D. qui Reipublicae Christianae cum docendo, tum de jure respondendo atque scribendo profuit omnino plurimum, et Eobanus ille Hessus, poetarum et oratorum sui seculi facile princeps adeoque vere ἐσσὴν et rex. Hos proxime sequuntur Janus Cornarius Medicinae D. excellentissimus, qui et Theologos et Medicos Graecos Latio donavit plurimos, et Andreas Hyperius atque Joannes Draconites ita naturae muneribus ad Theologiam habiles, ita ornati, ut non nati, sed ab ipso Deo ad eandem facti videantur. E jure consultis autem excelluit inter multos Joannes Oldendorpius, Germaniae Jurisconsultorum lumen, et e philosophis Justus Vultejus vir immortali laude dignissimus, itemque Eobanus et***) Petrus Paganus, Musarum deliciae et poeta insignis, quem tamen immatura mors rapuit prae-

*) In cod. scriptum est *Architas ille Terentinus*.
**) Deest *numero* vel simile verbum.
***) Verba *Eobanus et* in margine addita sunt.

mature. Quantum vero postea recentiori et propemodum hac aetate nostra operae accommodarint et industriae ad Academiam hanc exornandam inter juris quidem Doctores Regnerus Sixtinus, Nicolaus Vigelius, Hermannus Vultejus et Joannes Goddaeus, e Philosophis autem Germaniae Philosophorum coriphaeus Rudolphus Goclenius, toti Europae innotuit plusquam satis.

Horum omnium opera et studio effectum, ut numerosissima semper studiosorum turba huc, quasi ad omnigenae eruditionis emporium quoddam opulentissimum confluxerit, quorum tanta omni propemodum tempore comperta fuit diligentia, ut nec Cleanthis nec Aristophanis, quorum uterque pertinacissima sua vigilantia fecit proverbio locum, fere extiterit major. Ideoque plurimi et quidem turmatim ex hoc exiere Lyceo et oratores verborum et rerum actores, qui non solum ita acuere atque procudere linguam, ut quam in partem vellent, auditorum impellerent animos, verum etiam pectus ipsum maximarum rerum et plurimarum suavitate, copia et varietate ita onerarunt atque compleverunt, ut in solem atque pulverem, non ut e militari tabernaculo aliquo, sed doctissimorum hominum umbraculis eosdem prodiisse appareat. Neque tamen propterea inficias iverim ego, nonnullos ab hoc literario ad sodalicium, nescio quod, deflexisse Cyclopicum, qui non secus atque ii, qui morbo aliquo et sensus stupore cibi non sentiunt suavitatem, verae laudis gustum non perceperunt unquam. Verum quanto turpior projecta horum audacia atque eminens, tanto major illorum est gloria, qui longe doctiores et honestiores hinc discesserunt, quam venerant. Exemplo sint innumerae propemodum Doctorum Magistrorumque, quos exquisitissimis, ut eorum studia meruerant et virtutes, honoribus Academia nostra condecoravit liberalissime, festivitates et *πανηγύρεις* quasi perpetuae. Nam etsi virtus quidem ipsa pulcherrima sibi merces est, honos tamen ipse arteis alit magis, omnesque incenduntur ad studia gloria, ita quidem, ut ea fere jaceant semper, quae apud quosque improbantur.

Haec igitur Academiae nostrae, quae tantum inter alias extulit caput, quantum lenta solent inter viburna cupressi, initia et incrementa. Neque enim ulla fere alia est, in qua majori labore ac fidelitate genus omne tradatur studiorum, purissima uberiori cum fructu Theologia doceatur, Jurisprudentia ferventiori tractetur cultu, linguaeque nobilissimae majori inculcentur studio, ita quidem, ut nihil omnino habeas, quod in optimarum disciplinarum encyclopaedia jure desiderari possis. Sed hos progressus, haec incrementa, hanc in patriam beneficentiam fundatori Principi, qui literarum hoc emporium universae Germaniae aperuit bono, ejusdemque filiis Wilhelmo Sapienti et Ludovico IV Hassiae Principibus debemus omnino. Nam e testamenti paterni praescripto Wilhelmus Academiae hujus Marpurgensis cum fratre Ludovico solo, et Dicasterii generalis cum fratribus omnibus curam gessit communem. Imo pater Philippus huic filio efflorescentis Academiae administrationem commiserat vivens. Unde facile noster Wilhelmus pro ingenii sui perspicacia omnium rerum Academicarum rationes sibi fecerat notissimas, adeoque in numerato quasi habebat, quantum unusquisque Professorum loco praestare posset suo. Atque hanc etiam ob caussam utriusque illustriss: Principis opera Academiae reformatio suscepta et anno abhinc quadragesimo quinto perfecta est, Professorum solariis*) auctioribus redditis amplificatisque adeo Academicis reditibus, ut, quos antea quorundam negligentia pene disipasset, ii matura prudentia et optimis rationibus administrati longe excreverint uberius, adeo, ut multae Academiae aliae hac in parte inferiores, pares paucae inveniantur in Germania. Post Wilhelmum patrem, cum defuncto Ludovico Seniore piae memoriae Ludovicus junior, Hessorum Princeps, Giessensis Academiae fundator reditus quosdam huic nostrae detractos in novam suam avertisset scholam, Mauritius, quae nuper amiserat, rependebat perquam liberaliter, et post Mauritium Georgius Hassiae Landgravius Giesseno Lycaeo Marpurgum translato, non minori jam fide et

*) Hac forma recentiore pro usitata *salarium* uti solet Dil.

cura atque antecessores Principes Academiam Marpurgensem complectitur et plusquam paterno prosequitur favore.

O ter felicem igitur, cum Hadamario dicam, Academiam Marpurgensem, quae quoniam amoenitate praefulges, omnium rerum ubertate praeponderas, dignitate praecellis, merito dicata es omnibus, qui ocio gaudent honesto, honoribus aluntur bonis Musis: quae tot propriis tuis dotibus perlucida, ad tanta honoris conscendisti fastigia: quae Mecenatum tuorum illustrata virtutibus ac patronis*) circumvallata propediem ad altissimos amplitudinis tuae gradus progressura, cum tot heroes et Athlantes fortissimi, tot prudentissimi et eruditissimi viri ut charissimam humeris suis te fulciant atque sustentent.

Ab istis initiis Marpurgensis Academia ad hoc famae pervenit fastigium, nulli hodie, quotquot in Germania florent nominis celebritate inferior. Faxit autem Deus ut suis privilegiis et Privilegia Academia sua gaudeant quam diutissime, immo vigeat illa ac floreat, quamdiu gratum et acceptum hominibus in hac terra Musarum nomen, atque

Prodeat hinc semper discentum copia felix,
Surgat ut inde tibi gloria summa Deo.

Nos interea ad elogia virorum literis illustrium, qui hanc Academiam docendo et scribendo illustrarunt, properabimus ac praemissis prius Rectorum nominibus, Professorum secundum Facultatum ordinem, vitas et imagines ad vivum expressas dabimus, ut, quorum eruditionem in scriptis admiraris, eorum quoque vultus in hoc spectes libro.

*) Hadamarius habet *patrociniis.*

Sed haec hactenus: quibus praeter alios fructus inde capiendos commendationem quandam studiorum in hac academia strenue exercendorum censuimus contineri. Nam quamvis multum absit, ut tantam gloriam, quantam pleno ore bonus Dilichius praedicat perquam liberaliter, etiam nostra aetate Marburgum sibi possit vindicare, nihil tamen obstat, quominus easdem laudis vias, quae statim ab initio monstratae erant, vos ipsi persequamini, commilitones. Etenim ex civium industria bonisque moribus honorem haud mediocrem vel in parvas redundare academias, consentaneum est, et siquidem famae celebritas non minus quam imperium facile his artibus retinetur, quibus initio parta est, plurimum ad honestandum academiae nostrae nomen ii conferent, quibus obversetur ante oculos illud a Philippo Magnanimo in ipsis primis huius scholae legibus edictum: ***Satius est et reipublicae consultius paucos habere, qui bene monentem audiant, amicis et patriae profuturi, horasque suas recte collocent, quam multos, qui in magnum sui dedecus vitae insolentiam tantum sectari, atque irreparabilem temporis jacturam facere non vereantur.***

RECTORUM CATALOGUS.

Joannes Ferrarius Montanus Juris civilis professor et judicii Hassiae, quod curiale vocant, Assessor primus, Academiae Rector magistratum iniit III Calendarum Junii A. S. MDXXVII et solus per biennium eum gessit.

Anno vero MDXXIX ei successit *Adamus Crato* Fuldensis [1]), et huic dein

Ericius Cordus Med. D. et professor anno christiano MDXXX,

Augustus Sebastianus Nouzenus Flander, artium Magister ac sacrae linguae professor Cal. Jan. MDXXXI,

Erhardus Schnepfius Hailprunnensis art. Mag. et sacrae Theologiae Baccalaureus Cal. Jan. MDXXXII,

Ac eodem anno Cal. Jul. *Joannes Ferrarius* Montanus.

Anno vero MDXXXIII Cal. Jan. *Ericius Cordus;* cal. inde Jul. *Augustus Sebastianus Nouzenus.*

Anno MDXXXIV *Erhardus Snepfius* Theologiae professor Cal. Jan. et *Joannes Rudelius* Francophurdianus Juris pontificii et L. L. Doctor et prof. Cal. Jul.

MDXXXV *Joannes Megabachus* art. et medicinae D. cal. Jan. et *Jacobus a Taubenheim* Eques auratus literis et clarissimis majorum suorum imaginibus vir generosissimus [2]), cal. Jan. [3]) Prorector a. *Nicolaus Asculepius* Barbatus Poeta, Rhetor et Philosophus,

MDXXXVI *Gerardus Geldenhaurius* Noviomagus cal. Jan. et *Joannes Ferrarius* Montanus J. U. D. Cal. Jul. tertia vice.

MDXXXVII *Joannes Dryander* Wetteranus art. et Med. D. et professor Cal. Jan. *Joannes Lonicerus* art. M. Graecae et Hebr. ling. Professor cal. Jul.

MDXXXIIX *Helius Eobanus Hessus* poeta et *Justus Studaeus* Juris Civilis professor.

MDXXXIX *Joannes Dryander* et *Reinhardus Lorichius* Hadamarius.

MDXL *Adamus Crato* et in ejus locum vicerector *Reinhardus Lorichius.* Cal. Jul. *Ferrarius* Montanus quarta vice Rector.

MDXLI *Joannes Dryander* tertia vice cal. Jan. et *Joannes Oldendorpius* J. U. D. Quo anno Academiae privilegia attulit *Ficinus* Principis Cancellarius.

---

1) In cod. scriptum est *Fudensis.*

2) Verba *literis — generosissimus* a Dil. margini inscripta ex Albo academiae desumta sunt.

3) Per errorem scriptum est *Jan.* pro *Jul.* Prorector hoc anno constitutus est, quia is, quem Rectoris magnificentissimi nomen honoris causa ornabat, in professorum numero non erat.

MDXLII *Casparus Rhodolphi* Cantstadiensis Dial. prof. et Paedagogii Ephorus per annum integrum.

MDXLIII *Justus Studaeus* L. L. D. et prof. *Janus Cornarius* M. D. physicus.

MDXLIV M. *Nicolaus Blechlerus* [1]) Schmalkaldianus alias *Wintrimius* cal. Jan. et *Joannes Draconites* Carolostadius Theol. prof. et Ecclesiastes Marpurgensis cal. Juliis.

MDXLV *Joannes Ferrarius* Montanus V Rector et *Joannes Dryander*. Theologiae vero Decanus *Joannes Draconites*, a quo intercurrentibus annis ad usque DLX cessatio fuit Decurionatus. Post obitum enim Draconitis sigillum pervenit ad Adamum Cratonem, apud quem remansit usque ad ipsius exitum, annis XXIV durante illa cessatione, quod admodum difficile imprimis novi Gymnasii conatibus.

MDXLVI [2]) *Joannes Lonicerus* Graecae ling. prof. Jan. Cal. Rectoratum obiit, et Cal. Juliis *Andreas Hyperius* Theol. professor et

MDXLVII *Joannes Lersnerus* Hessus Pontif. Caesareique Juris D., Instit. Prof. et Dicasterii Hass. assessor per integrum annum.

MDXLIIX *Joannes Dryander* V Rector cal. Jan. et *Theobaldus Gerlachius* Billicanus J. U. prof. dicendi Magister cal. Jul.

MDXLIX *Andreas Hyperius* Theol. prof. et *Joannes Ferrarius* Montanus J. D. Academiae Vicecancellarius VI Rector.

MDL *Volquinus Vigelius* Wetteranus Med. D. Matheseos prof. et *Wigandus Happelius* Marpurgensis, Heb. ling. prof.

MDLI *Wigando Hapelio* prorogatus Rectoratus ad Cal. Julias, quibus ei successit *Joannes Ferrarius* VII Rector a Cal. Jul. usque ad Cal. Jan.

MDLII *Joannes Dryander* VI R. et *Matthaeus Philocapella* Hassus art. M. philos. moralis profess. primo.

MDLIII *Philocapellae* rectoratus prolongatus ad Julium mensem, quo in ejus locum surrogatus *Adamus Crato* Inspector Ecclesiarum Hassiae, cum *Oldendorpius* Reformator Academiae constitueretur.

MDLIV *Joannes Ferrarius* IIX R. et *Joannes Dryander* VII.

MDLV *Joannes Oldendorpius* solus, uti et omnes fere insequentes, ex quorum numero Anno

MDLVI M. *Joannes Lonicerus* Graecae Ling. et Theol. professor.

MDLVII *Joannes Ferrarius* IX vice,

MDLIIX *Wigandus Happelius* L L. Doct. et Hebr. Ling. professor, III [3]) vice R. cal. jan.

MDLIX *Bartholomaeus Meyer* art. M. sed in ejus mox locum *Happelius* ad Cal. usque Julii, et ab his *Joannes Oldendorpius* ad cal. Julias anni MDLX, quo anno Rectoratus et Decanatus coeperunt esse annui, a Calendis videlicet Julii usque ad Calendas Julii anni sequentis [4]).

MDLX igitur anno M. *Chunradus Matthaeus* Alsfeldianus Rhetor.

MDLXI *Andreas Hyperius* tertia vice,

MDLXII *Joannes Oldendorpius* IV,

MDLXIII *Joannes Lonicerus* IV,

MDLXIV *Wigandus Happelius* Codicis prof. IV. vice R.

MDLXV *Chunradus Matthaeus* Orat. prof.

---

1) In Albo est *Plechlerus*.

2) Dil. scripsit MDLXVI.

3) Dil. per errorem scr. *V*.

4) Quod M. C. Curtius fast. Rect. Marb. 1777. fol. p. XXIX a. MDLXVII factum esse falso refert.

MDLXVI *Henricus Vietor* Fridbergensis Theol. professor.

MDLXVII *Otho* Comes *a Solms.* Sed cum is circa Nundinas Francofurtenses discederet [1]), solus Rectoratum administravit *Antonius Heistermannus* J. D. et professor.

MDLXIIX *Georgius Marius* [2]) Wirtzeburgius Francus Phil. et Med. D. et prof.

MDLXIX *Chunradus Matthaeus* J. D. oratoriae prof.

MDLXX *Henricus Vietor* Theol. prof. et Ecclesiae minister.

MDLXXI *Valentinus Försterus* J. U. D. et professor primarius.

MDLXXII *Victorinus Schönfeld* Budissinus M. D. et ejusdem et Matheseos professor.

MDLXXIII *Chunradus Matthaeus* J. D. Assessor et professor.

MDLXXIV *Henricus Vietor* tertia vice.

MDLXXV *Hermannus Lersnerus* J. D. Consiliarius et professor juris, cui propter absentiam in Ratisbonensibus comitiis prorector datus *Jacobus Lersnerus* et reverso magistratus in annum sequentem MDLXXVI fuit prorogatus.

MDLXXVII *Hieronymus* Comes *a Schlick, Passaun, Weiskirchen et Sclackenwerda,* prorectore addito *Chunrado Matthaeo,* magna cum laude pleraque ipse administravit, judicavit.

MDLXXIIX Rectoratui praefuit *Conradus Matthaeus* IV vice.

MDLXXIX [3]) *Nicolaus Rodingus* Th. D. et professor, Ecclesiae pastor.

MDXXC *Regnerus Sixtinus* Frisius J. U. D. professor, Consiliarius, et Dicasterii Hassiaci assessor, cum *Valentinus Forsterus* Heidelbergam abiisset Rectoratus sui II initio.

MDXXCI idem *Sixtinus* absens in Dania Legatus secundo Rector constitutus et

MDXXCII M. *Heidericus Theophilus Lonicerus* Dialect. professor et Dicasterii assessor. Quem secutus

MDXXCIII M. *Daniel Arcularius* Theologiae professor et rei stipendiariae Ephorus.

MDXXCIV *Hermannus Lersnerus.*

MDXXCV *Joannes Wolffius* Phil. et Med. D. ejusdemque professor.

MDXXCVI *Petrus Nigidius* Junior J. D. et moralis philosophiae professor.

MDXXCVII *Daniel Arcularius* Th. D. professor et Ephorus.

MDXXCIIX *Hermannus Lersnerus* J. D.

MDXXCIX *Joannes Wolffius* Med. D.

MDXC *Philippus Matthaeus* J. D. Rhetor.

MDXCI *Daniel Arcularius* Th. D. et prof.

MDXCII *Hermannus Vultejus* J. U. D. et professor primarius summique Judicii Hessiaci assessor.

MDXCIII *Hermannus Wolffius* Med. D. et ejusdem professor.

MDXCIV *Petrus Nigidius* Junior, Ethicorum prof.

MDXCV *Joannes Winckelmannus,* Theol. D. et prof. atque in templo cathedrali Ecclesiastes.

MDXCVI *Philippus Matthaeus.*

MDXCVII *Joannes Wolffius* III R. Med. prof. primarius.

MDXCIIX *Joannes Ferinarius* Historiarum profess. et paedagogiarcha.

MDXCIX *Volckmarus Wolffgangus* Liber Baro in *Putbus* Rugianus. Prorector autem Joannes *Moltherus* Battimontanus S. Th. D. et Hebraearum literarum professor. Sed I Septemb. avocatus a tutoribus Baro valedixit Academiae omnemque dignitatem in *Moltherum*

---

1) Dil. scripsit *disceret.*

2) M. C. Curtius l. l. falso *Maium* vocat.

3) Dil. scr. MDLXIX.

contulit. Caeterum cum et is durante magistratu Fridbergam vocaretur, post abitum ejus Senatus Academicus Calendas Januarii deinceps destinavit electioni Rectoris. Quare Cal. Jan.

MDC electus fuit in Rectorem *Joannes Winckelmannus* S. S. Th. D. prof. et Ecclesiastes.

MDCI *Hermannus Vultejus.*

MDCII *Joannes Wolffius.*

MDCIII *Joannes Hartmanni* [1]) professor Matheseos.

MDCIV *Balthasar Mentzerus* S. S. Th. D. et professor, stipendiarioum Ephorus.

MDCV *Joannes Goddaeus* [2]) J. U. D. Pandectarum professor.

MDCVI *Joannes Wolffius* M. D.

MDCVII *Joannes Hartmanni* Phil. et Med. D. et professor Mathematum.

MDCIIX *Gregorius Schönfeld* Senior S. Th. D. et profess. primarius.

MDCIX *Mauritius Junior Hassiae Landgravius* Mauritii Senioris Hessorum filius secundo genitus annuente patre electus est Rector et prorector nominatus *Hermannus Vultejus,*

MDCX *Wuilhelmus Hassiae princeps* Mauritii Junioris frater Rector, verum Prorector *Nicolaus Braun* Med. D. et professor.

MDCXI *Rodolphus Goclenius* Senior philosophiae antecessor primarius.

MDCXII *Gregorius Schönfeld* Senior.

MDCXIII *Erasmus a Starckenberg* [3]) Baro, Austriacus, Dominus in Wildperg, Ried et Liebenstein magistratum gessit felicissimum, ipseque multa negocia composuit eaque difficillima [4]), dexter de caussis gravissimis judex, adolescens ad summa natus, ingenio praestans, animo magnus et doctrina ingenuarum artium praeclare ornatus. Prorector *Joannes Goddaeus* J. D. et Professor.

MDCXIV *Joannes Hartmanni* D. Medicus et Chimiatriae professor publicus, Rector III vice.

MDCXV M. *Theodorus Victor* Graec. Ling. prof. et Paedagogiarcha.

MDCXVI *Casparus Sturmius* Fridslariensis S. S. Th. D. et professor, stipendiariorum Ephorus.

MDCXVII *Christophorus Deichman* J. U. D. et Pandectarum professor.

MDCXIIX *Georgius Cruciger* Logicae et Metaphysicae [5]) professor, cui et Rectoratus in annum sequentem

MDCXIX prorogatus.

MDCXX *Joannes Crocius* S. S. Th. D. prof. primarius et Ecclesiastes.

MDCXXI *Joannes Matthaeus* J. U. D. et professor.

MDCXXII *Joannes Combachius* Wetteranus philosophiae professor.

---

1) Sic cum Dilichio vir chymica doctrina clarissimus nomen suum ipse scribit; forma *Hartmann* Curtius et Striederus utuntur.

2) Sic nomen scripsit Dil. h. l., in ipsa vita recte *Goeddaeus.*

3) Hac nominis forma utitur D. pro *Stahrenberg* vel, quod in Albo exstat, *Starhemberg.*

4) Cod. *difficilima.* 5) In cod. legitur *Methaphicae.*

PROFESSORES S. S. THEOLOGIAE [1]).

Franciscus Lambertus Th.

Avinionensis Gallus hic est, cui cum renata primum in Germania Evangelii doctrina veritatis lux affulsisset, orthodoxae religionis magis magisque propagandae studio praecipue incensus sese monastica vita, quam juvenis, ut in ocio cum dignitate versari posset, ingressus fuerat, abdicavit, et inter primos in Hassia Evangelii doctores et Marpurgenses professores, cum Julii Calendis haec nostra academia [2]) aperiretur, primo Rectore Joanne Ferrario Montano, et additis eidem collegis Euricio Cordo, Hermanno Buschio, Thoma Zegero, Gerardo Noviomago [3]), Joanne Lonicero, Sebastiano Augusto et Reinhardo Hadamario [4]) publice docendi munus suscepit. Vicesimo quoque primo Octobris ejusdem [5]) anni MDXXVI ad synodum, quam decreti Spirensis memor Philippus heros instituerat, profectus CLIIX paradoxa secundum verbum Dei discutienda proposuit eorumque veritatem Latino asseruit sermone ab Adamo Cratone vernacula lingua defensam atque a Nicolao Herborn Minorita [6]) perperam impugnatam. Inter hominis Lucubrationes extant etiamnum *Commentaria in duodecim Prophetas Minores et Evangelium Lucae:* nec non in *Canticum Canticorum: De arbitrio hominis captivo: De sacro et fideli conjugio ad Francorum Regem: Farrago rerum Theologicarum: Regulae Minoritarum: De Synodo Homburgi Hessorum pro reformatione Ecclesiarum habita;* et denique *Historiola supplicii ignis, quo apud Metenses affectus fuit Joannes Castellanus.* Fatis concessit *Lambertus* anno aerae Christianae MDXXX Aprilis die XIIX in statione sua Marpurgi et ad D. Michaelem humatus est: cui Jac. Thysius his versibus parentavit

Avinione satus monachorum ex ordine fratrum
Lambertus cernens Pontificum furias:
Romuliden damnat Lernam motoque cucullo
Asseruit veram pectore et ore fidem.
Ite, ait, o malesuada cohors immersa barathro,
Quo vos praecipites Cerberus ater agit:
Et simul Italiam fugiens, tua sacra professus
Magne Philippe Scholae Martia [7]) *tecta petit.*

---

1) Vitas theologorum Dilichianas etsi *Jo. Tilemannus* inseruit libro, quem de vitis professorum theologiae Marburgensium a. MDCCXXVII edidit (v. praef. editionis nostrae), tamen hoc loco non censuimus omittendas esse, ut integer exstaret Dilichii liber summa qua fieri posset diligentia descriptus.

2) Cod. *acedimia.*

3) Minus accurate Gerardum Geldenhaurium inter primos professores refert, qui demum a. MDXXXII Marburgi consedit.

4) Seb. Aug. Nouzenum et Reinhardum Lorichium dicit.

5) Negligenter hoc scripsit Dil., cum academia aperta sit a. MDXXVII post synodum Hombergensem anno superiore habitam.

6) Hoc loco spatium inane exstat imagini exprimendae constitutum.

7) Scilicet Marpurgi nomen a Marte ducit.

Adamus Crato Fuldensis.

Primus Hassiae post ritus Ecclesiasticos a Pontificio fermento repurgatos Antistites [1]), Ecclesiarumque Hassiacarum ad Lanum episcopus et Professor Theologiae Marpurgensis Academiae primis [2]) constitutus est inter, homo non doctrina solum, verum et Christianis virtutibus ac praesertim modestia, temperantia et charitate in pauperes insignis. Rectoratum ter in Academia gessit et quidem primum post Joannem Ferrarium Montanum anno MDXXIX, quo Philippus [3]) Hessorum Princeps legibus et privilegiis ceu sanctioris cujusdam necessitudinis vinculis arctissimis Academiam astrinxit. Sed cum ad res Ecclesiasticas pro muneris ratione inspiciendas in agrum ad Lanum excurrere cogeretur saepius, secundo Rector designatus vices suas Reinhardo Lorichio tradidit. Obiit anno MDLIIX nono Septembris die quum Ecclesiis Hassiacis initio relucescentis [4]) verae Evangelii doctrinae in eadem annuncianda fortem et fidelem prorsus navasset operam, atque XI Sept. die juxta cathedram templi cathedralis sepultus est, contionem habente D. Rodingo. De quo Paganus

Vegetii cernens vultum, pie lector, Adami
Dulce decus verbi, praesidiumque vides.
Papali pulso lux haec fulgebat Adamo,
Cum streperet bellis rustica turba novis.
Luxit et Hassiacas jam plurima lustra per oras
Nominis ad laudes optime Christe tui,
Aetheream donec placide revocatus ad aulam
Autori solvit debita pensa suo.
Atque utinam tales felix ferat aura ministros,
Aequa quibus verbi cura sit atque gregis.

Sebastianus Augustus Noutzenus [5]).

Sanctae linguae Professor, Saftingae oppido, quod Flandriae veluti promontorium est, MDIII anno Aprilis XXIII natus circa vesperam, post prima studiorum in patria sub Justo quodam et Spintero praeceptoribus tyrocinia posita Waritschoti linguae Latinae praecepta ab Hadriano Matthaeo didicit. Quum igitur his artibus infectus tener ad majora venisset paratior, hinc Lovanium commigrans in Lilium Flandrorum [6]) collegium, quod incoluerat etiam magnus ille Roterodamus, praeceptoris sui Hadriani authoritate [7]) jussuque recepit sese, ubi doctissimos audivit viros Joannem Cruceum Berganum, Michaelem Casletanum, Petrum Cortraceum, Adrianum Matthaeum et Cornelium Wertenum, tantumque in optimo genere Philosophiae processit, ut Magisterii una cum aliis centum quinquaginta studiosis anno Ch. MDXX decoratus ibidem fuerit titulo et in Lilano collegio Ciceronis Epistolas et Virgilii Aeneida adolescentulis enarrare coeperit primariis. Hortatu deinde Joannis Naevii Gandavi in eam rationem ingressus est, ut ad humanitatem informaret in aedibus Gerardi scholasticis nobiles aliquot pueros. Sed cum

---

1) Sic scripsit Dil.

2) Sic Dil., quod Tilem. mutavit in *primos*.

3) Post primam huius verbi syllabam inserta est imago Cratonis.

4) Sic, non *relucentis*, quod Til. habet.

5) Hunc omisit Tilem., ut in philosophorum potius numerum referret. Vitam Noutzeni ante Dilichium scripsit Gerardus Geldenhauer una cum ipsius vita Marpurgi s. a. editam.

6) Cod. *Flandorum*.

7) Locus imaginis.

postea in eo pistrimo diutius ob hospitis difficiles motus vivere nec posset nec vellet, a D. Dionysio ab Edinga Merensis collegii praeposito ampliori scholae et ejusmodi adolescentibus, qui uberiores in studiis fecerant progressus, numero plus minus quingentis adhibitus docendo, disserendo, declamando, comoedias et tragoedias publicis spectaculis exhibendo annos quatuor ita elaboravit, ut optimatum cumprimis inierit gratiam. At enim quum in Lutheranos, uti tum temporis appellabantur illi, qui non hominum placitis, sed sacrarum literarum norma de iis, quae ad salutem nostram attinent, existimandum putabant, saeviretur maxime, et vero sese ad eorundem doctrinam is ipse composuisset pridem, Antuerpiam a mercatoribus quibusdam evocatus, quod apud Gendavenses [1]) omnia ad terribilem quandam vergere viderentur rerum faciem, lubens quidem acquievit, sed quia et ibidem in omnes, de quibus incidebat suspicio, monachis saeviebatur promiscue crudelius, Antuerpia quoque relictis omnibus, bibliotheca, suppellectili et aliquot creditorum suorum stipulationibus discedere coactus est. Sic itaque in Saxoniam ituro occurrit fortuito Gerardus Noviomagus, qui eodem tempore a quibusdam Principibus Wittebergam mittebatur; cujus viri consuetudine ita delectari coepit, ut omnem ex animo projiceret protinus et abstergeret solicitudinem et moerorem e rerum jactura contractum, dummodo viri illius comitatu frui liceret. Caeteroquin anno et mensibus aliquot Wittebergae exactis, quum S. linguae studium isthic absolvisset, a Philippo Hassorum Principe evocatur Marpurgum anno MDXXVII, quo haec nova aperiebatur Academia, ubi uxore ducta bis summum Magistratum administravit et bis Decani, semel autem Promotoris vices sustinuit, sed ita tamen, ut si animum a negotiis publicis sevocare liceret, eundem tam ad Juris, quam Theologiae studium traduceret. Ideoque cum quatuor annos operam suam publice et privatim auspiciis potissimum et ductu Joannis Ferrarii huic rei impendisset, id indefesso consecutus est studio, ut eum Princeps sibi adscisceret consiliarium et inter Dicasterii Marpurgensis Assessores legeret, juris civilis laurea XI Novemb. anno MDXXXV a praeceptore donatum. Verum cum sequenti anno in morbum incidisset, quem peripneumonian vocant, praevalente vi morbi in medio studiorum et aetatis florentis cursu, quum nondum trigesimum tertium aetatis complevisset annum, denascitur eodem, quo natus fuerat mense authoritatis et prudentiae suae desiderium optimis quibusque viris relinquens. Parentavit ei in Elisabethae templo, ubi conditus est, Nicolaus Asclepius. Quod ad scripta attinet, in eorum, qui hoc studiorum genere delectari consueverunt, manibus versantur libri duo, alter *de literarum vocum et accentuum Hebraicorum natura* ex optimis quibusvis Rabinorum commentariis collectus, et *de servientium literarum officiis* alter, deque *arbore consanguinitatis* ut vocant scriptum [2]). Habentur etiam ejusdem *in Proverbia Salomonis commentaria.*

Et si plura Deus tribuisset tempora vitae,
Forsitan hoc major nemo futurus erat.
Sed quid non temerant crudelia numina Parcae?
Vix ortum subito fata tulere virum:

inquit Nigidius in Professorum Elencho.

Gerardus Geldenhaurius Noviomagus Geldrus.

Natus est patre ejusdem nominis itidem Geldro, duobus Geldriae Principibus Arnolpho et Adolpho a cubiculo, matre Richilde Bojara, (vulgo Beyerin) Noviomaga, cujus avus paternus

1) Sic scriptum exstat.
2) Vv. *deque — scriptum* in margine postea, ut videtur, ab ipsius Dilichii manu addita sunt.

equitis aurati dignitate auctus fuerat. Ideoque cum vel hac inprimis sorte et natalibus excellerent parentes, omnia summa fecerunt, ut, quandoquidem acri satis ingenio esse videbatur, educatione doctrinaque puerili liberaliter institueretur, eaque de caussa Daventriae primum Alexandro Hegio et Joanni Ostendorpio traditus est, qui puerum ad honestatem et literarum studia formarent. Postmodum in Lovaniensem, qua celebriorem tum temporis Germania videbat nullam, philosophiam non didicit modo, verum et docuit Joanne Paludano, Martino Dorpio, Adriano Barlando, Joanne Campense, Rudgero Roscio, Jodoco Laeto et ipso inter alios Erasmo Roterodamo usus familiariter. Vixit postea aliquandiu Antuerpiae, quod tum Emporium toti Europae notissimum. At vero cum isti adolescenti neque a natura, neque a doctrina deesset quicquam, commendatus Carolo V. Imperatori [1]) primum ad Aulam accitur, ut ab Historicis et lectionibus esset eidem. Sed cum displiceret *Geldenhaurio* frequens locorum mutatio ac in Hispaniam ituri Caroli comitatus, relicta imperatoria aula se ad Philippum Ultrajectinum praesulem contulit, eique a secretis in Latina lingua et in cubiculo a lectionibus fuit per annos XII usque ad annum MDXXIV. Quo anno cum is diem obiisset suum, Maximiliano [2]) a Burgundia ita volenti operam suam iisdem in rebus collocavit. At anno MDXXVI a Principibus viris Wittebergam missus Ecclesiae illius atque scholae rationem inspicere et explorare jubetur. Reversus igitur audita, visa, compertaque sibi illis fide optima retulit omnia, fassus ingenue se non posse non probare et commendare id doctrinae genus, quod cum literis Propheticis consentiat et Apostolicis, hacque occasione relictis Pontificiorum partibus, religioneque immutata non sine vitae ac fortunarum omnium periculo ad Vangiones abiit et Wormaciae [3]) inprimis, uxore ibidem ducta sedem fixit omnem cum pietatis studiis rationem habens et juventutem etiam ipsam ad literas atque humanitatem, si quisquam alius, effingens sedulo. Sed enim cum literarius interea ludus aperiretur publico invitatus stipendio se scholae illi addixit totum. Hinc Augustam Vindelicorum evocatus operam suam pariter erudiendae juventuti impendit, donec anno MDXXXIV [4]) Marpurgum transiret. Qua in Academia historias primum biennium ac postmodum novennium sacras literas, quibus immori decreverat, pie et cum auditorum non modico fructu interpretatus est, ita ut interea etiam Rectoris munere perfunctus fuerit. Tandem anno MDXLII decimo Januarii die spiritum Deo reddidit sexagenarius. Ejus scripta haec sunt: *Poeticorum tyrocinium sive Epigrammatum libri II,* quos edidit annos natus decem et octo: *Oratio exhortatoria ad studium bonarum literarum, cum aliis quibusdam orationibus: Satyrae octo,* quarum sex in Phrisia, duas postremas in Selandia absolvit: *Epistolarum libri tres: De pompa funebri Ferdinandi Arragonum Regis: De adventu Philippi praesulis in ditionem Ultrajectinam et oratio pro eodem ad Carolum Augustum: Vita ejusdem Philippi: Descriptio Insulae Batavorum: Historia Batavica: Catalogus Episcoporum Trajectensium: Historiae suae aetatis libri VII: De viris illustribus Inferioris Germaniae: Rodolphi Agricolae* et *Wesseli Gansfortii Frisiorum* ac *Noutzaeni vitae: Germanicarum historiarum illustratio*: et *Epistola ad Gelriae Principem Wilhelmum gratulatoria et admonitoria de horum Principatuum adeptione, deque miranda* [5]) *antiquitate regum Germaniae.* Concessit autem naturae

---

1) Asterisco addito Tilem. indicare voluit, minus recte Dilichium Carolum dicere Imperatorem, qui in hanc dignitatem evectus nondum fuerit.

2) Cod. *Maxemiliano.*

3) Hoc loco inserta est imago Geldenhaurii.

4) Scribere Dil. voluisse MDXXXII, proxima verba docent, atque aliunde constat, a. MDXXXIV Geld. in theologorum numerum transiisse, cum antea historiam docuisset. Cf. Strieder Hess. Gel. Gesch. IV, p. 355 sq.

5) Sic Dilich., non *admiranda,* quod Tilem. exhibet.

Gerardus X Januarii peste correptus ac in summo templo fuit tumulatus perorante Draconite. Nigidius quoque ei [1]) hoc inscripsit carmen

Calluit historias noster Neomagus et idem
Instar Varronis vir polyhistor erat.
Sedulus has docuit facundo praeditus ore
Plebeis gratus principibusque viris.
Post vero sera jam succedente senecta
Explicuit sacros voce valente libros.
Frugalis vitae fuit hic senioque verendus,
Gelria quem nobis Martia terra dedit.
Hinc [2]) *Trajectini deserta Praesulis aula,*
Ocia Musarum maluit alma sequi.
Tandem pertaesus longaevae tempora vitae
Optatae coepit mortis inire viam.

Joannes Lonicerus Ortheranus [3]).

Orthernio Comitatus Mansfeldensis oriundus oppido anno MCCCCXCIX post prima studiorum tyrocinia, quae in schola patria pari et celeritate et felicitate posuerat, cum injusti vitrici morosos inprimis mores fugeret, Islebiae paupertati quamvis proximus, studia tamen sedulo est persecutus, aliisque honestis adolescentibus operam locavit, ut hac ratione, quae ad victum essent necessaria, emereretur. Caeteroquin ex illis pulveribus scholarum et fortunae adversis procellis eluctatus portum demum tenuit quietiorem, Academiam nimirum Erfurdianam tum temporis non ingloriam. Hinc discedens Wittebergam appulit Lutheri motus fama, ubi non solum acuit procuditque linguam, sed pectus quoque ipsum maximarum rerum et plurimarum suavitate, copia et varietate ita complevit, ut dignus fuerit habitus, cui cum magno illo Cornario philosophici honores summi, qui Magistri vulgo titulo censentur, decernerentur anno S. MDXXI Jan. XXIV. Postmodum quoque rara [4]) hominis et exquisita prorsus, qua praecellebat vel maxime, linguarum cognitio ita innotuit doctis viris, ut Philippus Melanchton et Joachimus Camerarius ejus vel inprimis opera in augendo Lexico Graecolatino uterentur. Atque hinc anno MDXXII Friburgum Brisgoiae evocatus annum Sanctam ibidem linguam docuit, quo exacto circa annum MDXXIII Argentoratum abiit et rei typographicae in corrigendis praelorum operis vacans Philippi Melanchtonis hortatu Graecos nonnullos codices summa cura restituit, familiamque inibi, uxore anno DXXIV ducta, collocavit. Atque hunc in modum in Philosophicis et Theologicis studiis versatus, quum eruditionis et doctrinae collegisset sibi famam, in novam scholam Marpurgensem ex Argentoratensi, quo se Francofurto ad Oderam [5]) exul receperat, inter primos una cum Ferrario accitus est anno MDXXVII curante id Joanne Ficino Hassiae Cancellario, ut in ea Graecas literas addita postea etiam S. Linguae lectione publice doceret. Id quod non viva solum voce, sed et scriptis etiam amoenissimis ingenii et fidei sanctissimae testibus praestitit

1) Tilem. *et*, sed *ei*, minus perspicue exaratum in cod., legendum esse patet.

2) Apud Nigidium (Elench. profess. acad. Marp. vita defunctorum. Marp. Catt. 1591. p. 23) exstat *hic*.

3) Usum esse Dilichium *Boissardi* iconibus virorum illustrium, cuius libri tertia pars Francofurti a. 1598 edita p. 179—194 Loniceri vitam continet, ipsa verba haud raro inter se congruentia docent. Quamquam uti etiam potuit *Melch. Adami* vitis German. philos. Heidelb. a. 1615 primum editis, qui p. 248 sqq. vitam Loniceri e Boissardi libro fere transscriptam exhibet.

4) Post priorem syllabam inserta est imago Loniceri.

5) Dil. sibi non constat, cum antea Boissardo auctore Lonicerum Friburgo Argentoratum abiisse dixisset. Francofurto ad Viadrum relicto eum Argentoratum se recepisse, Tilemannus p. 77 convincit testimonio Heiderici Theophili Loniceri, Joannis f., in annalibus facultatis philos. acad. Marb. rem narrantis.

abunde, sed ita tamen, ut exercitationem mentis ab harum rerum studiis ad reconditas et abstrusas divinae bonitatis opes in sacris literis nobis praepositas traduceret. Transtulit enim e Graeco in Latinum *Theoduli Coelesyriae Episcopi*, ut putatur, *Enarrationem Epistolae ad Romanos* e Theologis Graecis congestam: *Theophylacti* [1]) etiam *Enarrationes in omnes Pauli Epistolas et Prophetas aliquot minores* Latinitate donavit: *Nicandri* item *Theriaca et Alexipharmaca* adjectis scholiis: *Sophoclis Ajacem flagelliferum*: *Callimachi hymnos in Jovem et Apollinem: Pindari* quoque *Olympia, Pythia, Nemea, Isthmia* et *Lycurgi* [2]) *adversus Leocratem orationem* addito *philosophiae Encomio.* Edidit praeterea *Catechesin de bona Dei voluntate erga quemvis Christianum deque Sanctorum cultu et invocatione: methodum Graecae Grammatices et Rhetorices Latinae: Artes docendi* [3]) *methodum: Demosthenis orationem funebrem: Graecae linguae Encomium: Concionem Cyri Persarum Regis: Concionem Cleocriti: Scholia in Dioscoridis libros de materia medica cum nomenclaturis Graecis, Latinis, Germanicis et Hebraicis: Compendia librorum aliquot Aristotelis* et *Ethicorum ad Nicomachum compendium: Epithalamium Graecum in Justi Studaei gratiam: Galeni* quoque *libros de usu partium humani corporis* in *quaestiones* dilucidas et succinctas redegit. Quin et *Orationes Declamationesque* scripsit et habuit plurimas, quarum aliquot typis evulgatae: et ex iis *Oratio ad Imperatorem Carolum V. pro impetrandis privilegiis Universitatis Hassiacae: Genethliacon Principis Wilhelmi Hessi: Oratio funebris et Epicedia in Joa. Ficini Cancellarii obitum: Oratio in mortem Joa. Ferrarii Montani: Luctus et Epitaphia in funus Casparis Rudolphi: Oratio de verbo incarnato: Oratio de meliori literatura amplectenda* [4]) *ad studiosam juventutem: Epitalamia, Epicedia, Epigrammata moralia* innumera, quae singula recensere nil attinet. Magistros in hac Academia, item Baccalaureos anno DXXX communi consensu et suffragiis renunciavit omnium primus, undecies Philosophiae, bis Theologiae Decurio, quartumque Rector magnificus. Caeterum anno DLIV ad Theologorum traductus subsellia operam in explicando *Matthaeo Evangelista* posuit et decennio post, anno nimirum MDLXIV, jubente ita Principe, primus [5]) in hac Academia Theologiae Doctor salutatur. Sic ab anno MDXXVII nuspiam interrupta serie Graecam linguam professus est per quadraginta duos annos cum primariis Academiae Professoribus ita, ut etiam ab anno DXXXVI usque ad annum DXLVI Hebraeam simul linguam docuerit. Tandem Theologorum asscriptus classi XXI annos in hac una ratione tractanda habitavit. Erat autem viro ingenium mite et placidum, moresque amabiles, suaves, seniles, mansueti humanique, et vita sobria, quam secuta demum mors piiss. et placidissima XX die Julii [6]) anno Chr. DLXIX, aetatis vero LXX: cujus memoriam hisce versibus prosequtus est Petrus Paganus

Ignorant multi, picta sub imagine quantae
Saepe degant artes, ingeniumque bonum.
Maxima debetur capiti reverentia cano
Hic tibi pictoris quod rude monstrat opus.

---

1) Cod. *Theophilacti.*

2) Cod. *Licurgi.*

3) Sic scriptum est a Dil.; vera libri inscriptio est *artis dicendi methodus.*

4) Cod. *amplectanda.*

5) Immo primus theologiae Doctor Marburgensis fuisse traditur Hyperius a. MDLIII creatus. Dilichii error inde explicatur, quod post Hyperii mortem cum Marburgi nemo exstaret isto honore ornatus, Theodoricus Snepfius Tubinga arcessitus est ad doctoratum Marburgensem instaurandum, cuius insignia Lonicero, W. Orthio et Vietori contulit. Quam rem luculentissime enarravit Henricus Heppe in Zeitschr. f. hist. Theol. 1854. XXIV. p. 155 sqq. Cf. ejusdem Gesch. d. deutsch. Protest. II. p. 96 sqq.

6) Immo ad *Junii* diem XX eius mortem refert Tilem. ex Albo academico.

Doctor Joannes superi Lonicerus honoris,
Linguarumque decus cernitur ecce trium.
Hunc schola per multos venerata est Hassia messes,
Electum sequitur quem modo fida ducem.
At tu clementer patriae venerabile numen
Pastoremque tui Christe tuere gregis.

Vultejus autem de ipsius obitu:

Hic linguae Solymae, Graecae, Latiaeque professor,
Numinis interpres post sua fata jacet.
Sancte quiesce senex, numerosa prole beate
Nec minus eximia prole beate senex.
Ipse doctus eras, et doctos post tua natos
Funera liquisti, persimilesque tibi.
Qui partim templis praesunt, sacrisque docendis,
Principibus partim dant grave consilium.
Sunt et Apollinea qui languida corpora dextra
Restituant, gestant pars quoque sceptra scholae.
Cum tot in ingrato clarissima lumina mundo
Liqueris, in Domino sancte quiesce senex.

et Nigidius haec

Ut vero placidam studuit traducere vitam,
Sic instar somni mors quoque lenis erat.
Creditur extinctus mox suffocante catarrho,
Ut fato tandem mors sua quemque manet.
Hic moriens nostros lachrymis madefecit ocellos,
Perdidit heu carum quam schola nostra jubar!

Joannes Draconites

S. Theol. D. [1]).

Natione Francus, patria Carolostadius, quum patriis in scholis prima literarum elementa imbibisset, ut tanto majora doctrinae quaereret et colligeret sibi adjumenta, Erfurdiam commigrans aetatem juvenilem in studiis literarum humanioribus contrivit easdemque illo ipso in loco honores adeptus scholasticos aliquandiu publice et privatim cum laude docuit. Inde Wittebergae S. S. Theol. Doctor authoritate renunciatus publica id assiduis studiis consequutus est, ut quoties se conjiceret in versum, verba sequerentur sponte, triumque praecipue linguarum cognitione, si quisquam alius, excelleret maxime. Ideoque etiam Marpurgum ad Theologiae professionem anno MDXXXIV vocatus Ecclesiasten egit simul eique anno DXLIV Rectoris delata fuit dignitas, quo sub Rectoratu a Wittenbergensibus Theologicae Facultatis petitum est sigillum et impetratum, ut id perpetui consensus esset symbolum: Anno quoque DXLV Decani perfunctus [2]) est munere. Postmodum Rostochii primum sacras professus literas Sambiensis Ecclesiae egit Praesulem. Verum Witebergam tandem regressus, opus Biblicum Pentaglotton Origenis exemplo, cujus ea in re opera veterum monumentis tantopere fuit collaudata, agitabat animo: cujus etiam specimen in medio reliquit egregium sane et posteris admirandum. At

1) In hac vita describenda Dil. ad Beissardum (Icon. p. IV) maxime se applicavit, neque tamen ita, ut omnia inde deprompserit, quod Tilem. dicit. Plura dat Striederus, Molleri Cimbria litterata in usum suum adhibita.

2) Ante ultimam hujus verbi syllabam imago Drac. est interposita.

vero inter hos pios et sanctos conatus vir optimus, doctissimus ac inprimis linguarum praeter vernaculam Hebraeae, Chaldeae, Latinae peritissimus e vita evocatus Wittebergae magno Reipub. et Ecclesiae detrimento obiit senex et septuagenario major MDLXVI anno Aprilis XIIX, praeclara nominis sui memoria relicta. Transtulit enim sacros aliquot Veteris Testamenti libros et succinctis explicavit commentariis, ex quibus sunt *Commentarius in Psalmos aliquot et capitula Geneseos de Christi regno: Psalterium ex Hebraeo versum cum scholiis seorsim adjunctis: Commentarius in Danielem ex Hebraeo cum oratione et indice: In Psalmum CXII*[1]) *enarrationes: Commentaria in Evangelia ab Adventu usque ad Ascensionem Christi et hinc ad Adventum quibus adjectus est Catechismus.* Scripsit et *Commentaria* Draconites *in Joelem, Obadiam et CXXXVII Psal.* inque diversos[2]) *Prophetas interpretationes,* atque *Amos Prophetam ex Hebraeo* convertit in *Latinum.* Edidit etiam *Noviomagi* nostri, magni *Martini Lutheri* ac *Elisabethae Blandenheimiae obitum*[3]): *orationem in peste super illud Jobi XIX, Scio quod Redemptor* etc.: *De Catechismo, super Evangelium Marci X: De Evangelico Concionatore: De officio Principis et Concionatoris: De victoria Principis ex CXLIX Psal: De Christiana fide ad Bremenses: Defensionem conjugii Sacerdotalis ac Concionatorum Evangelicorum ad Colonienses: De numeris oratoriis librum: Postilla per annum MDXLV*[4]) atque *Conciones,* quibus *Messiae nomina* interpretatus est. Praeter haec subjecit etiam textui Hebraico *Proverbiorum Salomonis quatuor aliarum linguarum versiones et annotationes:* idemque in aliquot Prophetas praestitit. Sunt et Germanice quaedam sub ejusdem nomine edita, quorum tamen nulla hic mentio. Melissus in ejus obitum haec reliquit

Hos cineres, haec busta Fides innoxia servat
Dulcis[5]) *Spes et Caritas:*
Filiae Jovis inclyti sorores.
Prima sacras lauri frondes at proxima palmae
Spargit[6]) *virentes ramulos:*
Mitis ultima gemmulas olivae.
Salve care senex: tu nunc quasi[7]) *stellula fulges*
Celso nitens[8]) *in aethere:*
Hoc tui precium laboris[9]).

---

1) Sic Dil. cum Boissardo, qui librorum catalogum e Simleri epitome biblioth. C. Gesneri exscripsit; Striederus Enarrationes in Ps. *CXVII* Ratisbonae 1541 editas dicit, Mollerum secutus, qui Simleri numerum ex ipsis tituli verbis, quibus initium Psalmi indicatur, corrigendum esse monuit.

2) Cod. *diversas.*

3) Complura negligentiae vestigia reperire nobis videmur haec comparantes cum Boissardi verbis: *Edidit etiam orationes funebres in obitum Eobani; in obitum Gerardi Nouiomagi: in obitum Doct. Nicolai Magni: in obitum Doct. Martini Lutheri. In obitum Elisabethae Blanconemiae.*

4) Cod. *CDXLV.*

5) Scribendum erat *Dulcisque,* quod exstat apud Adamum, qui in vita Drac. theologorum vitis inserta Melissi epigramma exhibet.

6) Apud Adamum est *sparsit.*

7) Adam. *ceu.*

8) Adam. *micans.*

9) Adam. addit *esto;* in cod. Dil. verbum erasum est. quod propter metrum non debebat omitti.

Erardus Schnepfius Hailprunnensis.

Primarius Theologiae Professor facundissimus, artium Magister Baccalaureus inter primos Academiae proceres Rectoratum gessit anno MDXXXII prima, ac secunda vice anno MDXXXIV. Doctoremque Theologiae in hac Academia primum renunciavit Lonicerum [1]). Obiit tandem Jenae ad Salam clymactericus anno MDLIIX primo Novembris die, cui exuviis soluto mortalibus hoc reliquit Encomium Nigidius

Snepfius aequavit clari Demosthenis ora,
In sacro faceret cum sacra verba loco.
Hic auditorum ceu Gallicus Ogmius [2]) *aures*
Traxit, quo vellet hos sua verba sequi [3]).
In Cathedra orator ceu spicula fixa reliquit,
Instar apis mentem quae tetigere [4]) *bonam.*
Facundo insedit Pitho venerabilis ori,
Et norat miro verba tonare modo,
Tractavit pure Scripturae oracula Sanctae,
Scilicet interpres sedulus, eximius.
Linguarum donis queis [5]) *non excelluit ille?*
Sustulit heu magnum mors truculenta virum.

Andreas Gerardus Hyperius [6]).

Hyperis, inclyto Flandriae oppido, natus MDXI S. anno patre synonymo Andrea, clarissimo ibidem jure consulto, praeterquam quod patriae Gymnasia aliquam multa sectatus artium studia e fontibus hausit, Parisiis quoque et Lovanii Philosophiae ac Theologiae studiis se totum dedidit, ut agro non semel arato, sed novato et iterato meliores foetus posset et grandiores edere. Postea [ut] [7]) Ulyssis Homerici instar multorum hominum urbes atque mores perspiceret, Italiam fere universam, itemque Galliam, Hispaniam [8]) et Britanniam peragravit. Demum operam suam anno MDXLII Ecclesiae et Academiae Marpurgensi addixit et susceptis summis in Theologica facultate, Draconite Brabeuta [9]), honoribus maximo fervore in Ecclesia et schola sacras literas docuit, easdemque scriptis pariter, in quibus vel praecipue hominis doctrina eminet atque industria, illustravit, e quibus sunt *Commentarius de honorandis Magistratibus,* in quo Psalmus XX enarratur: item *in Psalmum XII* et in *Epistolas Paulinas*

---

1) Errat Dil., ad patrem Erardum referens quod ad filium Theodoricum pertinet. Erardus ipse Tubingae demum theologiae doctor creatus est, ubi a. MDXLIII professionem theologicam susceperat. Cf. Adam vitae German. theol. (1620) p. 323, qui multo luculentiorem de Snepfii vita narrationem exhibet.

2) Sic Nigidius; Dil. falso scripsit *Ognius.* Ogmium Celtas appellare Herculem, Lucianus tradit Herc. 1.

3) Locus imaginis.

4) Cod. *tetegere.*

5) Apud Nigidium p. 31 legitur *quos.*

6) Etiam in hac vita describenda Dil. maxime usus est Boissardo. Nuper de Hyperio egit Guil. Mangold peculiari disputatione in: Deutsche Zeitschrift f. christl. Wissensch. 1854. N. 30—32.

7) V. *ut* in cod. quidem expunctum, sed necessarium est.

8) De Hispania dubitat Tilem. p. 56, quoniam Wigandus Orthius in oratione de vita ac obitu Hyperii habita de itinere Hispanico nihil habet. Dil. Boissardum sequitur.

9) Errorem Dilichii notavit Tilem., cum doctoris honores a. MDLIII a Jo. Tilemanno Schnabelio Alsfeldiano in Hyperium collati sint.

dispositiones doctissimae: tum *de ratione concionandi, seu Studii Theologici*[1]) *liber: de formandis concionibus Sacris lib. II: de recte formando Theologiae*[2]) *studio: de Sac. Scripturae lectione et meditatione quotidiana lib. II:* ac *Methodi Theologiae totidem: Topica Theologica et Catechesis.* Extant quoque uno volumine edita opuscula *de Sac. literarum studiis non differendis: de institutione novorum collegiorum, in quibus juventus eruditur ad suscipiendam Ecclesiae gubernationem: de publico studiorum in schola Theologica examine: de Catechesi: de fide hominis justificandi ac de fide et operibus hominis justificati quaestiones: Christum non instrumentalem modo esse salutis nostrae caussam, verum etiam efficientem et principem: non esse aliam justificationis viam, quam qua Abraham justificatus est, per fidem scilicet absque operibus: de spiritu et litera: Conciliatio horum locorum, qui legem factis exprimunt, justi habentur ad Rom. II: et ex operibus legis nemo justificatur ad Rom. III: et similium qui pari modo videntur inter se discrepare: de hominis merito apud Deum: Historiam quae II Mach. legitur de donariis Hierosolymam missis ad sacrificium pro expiandis mortuorum peccatis, parum esse efficacem ad comprobandum mortuis ad salutem prodesse Missarum celebrationem: Verba Pauli I Cor. XV de his, qui baptizantur pro mortuis, paulo aliter, quam a nonnullis hactenus, distincta et exposita: de Synodis annuis: de publica in pauperes beneficentia: de Feriis Bacchanaliorum, quodque apud Christianos locum habere nullo debeant modo.* Atque haec omnia sunt impressa simul. Pars autem opusculorum theologicorum secunda hos continet libros *de piorum* videlicet *auditorum in dijudicandis doctrinis officio: de providentia Dei: de probatione sui ipsius: Consultatio de conjugio ministrorum Ecclesiae: utrum Babylon in Apocalypsi significet Romam: De his qui Filium constituant inferiorem Deo atque Patri inaequalem: praecepta Decalogi aliter olim digeri solita atque nunc: ad verba Apostoli II Corint. III Epistola mea vos estis et Deus idoneos nos facit ministros Novi Testamenti: de veris Apostolatus, Doctoratus et similium graduum insigniis proposita quaedam: De Sacramentis in genere: Super verba Apostoli ad Romanos I. homines a Deo in reprobam mentem tradi*[3]). Scripsit etiam *de ratione studii*, scripsit *Dialectica, Rhetorica, Arithmetica, Optica et Astronomica* quaedam, scripsit *Physica; Scholia ad decem libros*[4]) *Aristotelis:* scripsit *Observationes locorum in eas Evangeliorum particulas, quae singulis Dominicis in Ecclesiis recitari consueverunt: de Studiosorum vita et moribus: Exegemata in omnes D. Pauli Epistolas: Feriarum Scholasticarum lib. XII: de ordinanda Ecclesia lib. VI,* quae tamen omnia absoluta non sunt. Sic igitur hominem majorem publicae utilitatis, quam propriae valetudinis curam gerentem intempestiva mors sustulit Marpurgi anno MDLXIV Cal. Februariis, cum vitae equidem annum LIII, functionis autem XXII ageret et interea temporis tum Rectoris ipsius dignitatem, tum vero Prorectoris et inter Theologicae Facultatis proceres Decurionis vices sustinuisset. Post ejus obitum Laurentius Hyperius filius praefixa praefatione patris edidit opera, uti sunt *in Esaiae Prophetae oracula annotationes* breves et eruditae: *Compendium Physices Aristoteleae* et alia[5]): *commentaria in Epist. ad Galat. et Ephesios. Ad Philippenses* autem, *Colossenses, Thessalonicenses, ambae*[6]) *cum indice gemino:*

---

1) Tilem. falso exhibet *Studiis Theologicis.* Librum *de ratione studii theologici* non differre ab eo qui inscribitur *de recte formando theologiae studio,* Striederus monet. Titulum *de ratione concionandi* eum illo coniunctum Dilichius unde sumserit, ignoramus.

2) Imago Hyperii.

3) *tradi* corr. ex *trahi* exstat in cod.

4) Dil. omisit *Ethicorum.*

5) Distinctionis signum a Dil. omissum addidimus, duce Boissardo.

6) Sic Dil. negligenter scripsit; Boiss. recte *Thessalonicenses ambas.*

In Epist. D. Pauli ad Timotheum, Titum, Philemonem [1]) *et D. Judae Commentarii* in lucem prodiere opera Joannis Mylii. In Andreae nostri effigiem haec addidit Paganus

Ancora sacra pii pastorque fidelis ovilis
Hyperius, tabula clauditur ecce brevi.
Charta capit faciem, sed castae munera mentis
Aetas in tanto non capit una viro.
Nam licet emeritae jam post fastidia vitae
Dormiat in gremio Christe benigue tuo:
Non tamen extincti morietur fama per orbem,
Vivida perpetuo qui monumenta colit.

In defunctum autem Justus Vultejus

Heu pater et currus sapiens auriga piorum
Ut soliti sensus corpus inane jaces?
Obvius ire malis firma ratione parabas,
Falsaque constanti crimina mente pati.
Cum te colluvies vexaret acerba malorum,
Fecisti domino sedula vota tuo.
Nunc evasisti, nunc liber ab omnibus illis
(Invideat, si cui displicet) astra tenes.
Tempestas eadem nostrae subeunda carinae,
Sed Deus in medio gurgite mittet opem.
O te perpetua coelorum sorte beatum,
Non, tibi quo noceat, jam tuus hostis habet.
Coelicolum te jam scripsit Respublica civem
Haec eadem nostri meta laboris erit.
Nos graviter gemimus vocis facunda disertae
Flumina, nos lacrymas in tua busta damus.
Cum venit in mentem, quo sit doctore carendum,
Heu dictu gravius plangimus et gemimus.
Ah pater et currus sapiens auriga piorum
Ut soliti sensus corpus inane jaces?

Et Paganus

Hoc tegitur, placida sublatus morte, sepulchro
Hyperius, fato jam meliore fruens.
Transiit e vivis ad vera palatia vitae
Quemque diu docuit, jam videt ipse Deum.
Corpus humi moles, animum sibi vendicat aether:
Scripta piae munus posteritatis erunt.

Wigandus Orthius

Wetteranus.

Hic cum abdicata ab Happelio, qui ad Institutionum professionem transierat, provincia publici muneris partem, quae in docenda lingua Sacra spectatur praecipue, anno MDLX attigisset secundo Octobris die de ejusdem dignitate orationem habuit et propositis thesibus, uti moris est, proximo anno XIII Junii pro summo in Theologia gradu consequendo eruditionis specimen publice edidit. At primum triennio post in Ephori locum suffectus et inter Theologos ascriptus una cum Lonicero et Henrico Vietore honoris ipsius cepit insignia, qui tamen honor

1) Cod. *Philomenem.*

ei diuturnus nequaquam fuit. Nam vix elapso biennio XXIIX Aprilis anno MDLXVI Gosfeldiae apud Balthasarem patrem peste extinctus est fato praematuro eoque singulari. Pestis enim tum erat Marpurgi[1]) nullibi et tamen aedes Wigandi ita infectae erant contagio, ut intra octiduum praeter famulam omnes ex Orthiana illa obierint familia. *Wigando* parentavit Justus Vultejus, successit agnatus Henricus Orthius atque ejus iconi haec subjecit Petrus Paganus:

Cum duo lustra tribus vitae junxisset et annum
Orthius hac facie conspiciendus erat.
Qui sacras juvenis linguas meditatus et artes
Muniit ad Jovae Biblia Sancta viam.
At nunc Hebraeae tractans mysteria gentis,
Sincerae curam relligionis agit.
Hic nisi Doctorum fallunt praesagia: Christe
Dux erit ille tui luxque serena gregis.

Vultejus autem defuncto:

En cur te studiis frangas tot, Ephebe, per annos?
Hora brevis tanto parta labore rapit.
Orthius exemplo sit honoribus artis abundans,
Qui vix Doctoris nomen adeptus obit.
Et curae frustra, frustra vigilata fuerunt
Tempora, cum stertens turba jaceret iners.
Quin genio studiosa cohors indulget et horas
Tristitiae plenas non sinit ire suas.
Morte cadunt plerique cita, cum culmen ad ipsum
Emicuere, cita praemia nocte cadunt.
Et videas truncos virtutis et artis egentes
Praeferri claris arte fideque viris.
Saepe meum pectus torserunt illa, sed isti
Non minus in doctos dicta scelesta vomunt.
Et quem non moveat tam res indigna? quis autem
Cum videt haec, Musas tractus amore colat?
Haec ego, sed fatua ductus ratione, loquebar
Abjecique meum pene protervus opus.
Sed mihi cum melior mens et correcta rediret,
Diversum sensi, et jam prior error abiit.
Namque nec inverso neque ullo haec ordine fiunt,
Multaque crede mihi, quae monearis, habent.
Ne fructum studiis proprie Musisque dicatum
Rebus in externis falsus inesse putes.
Neve tibi populo speres ventura secundo
Praemia, cum temere mobile vulgus agat.
Haec aliunde capi merces, aliunde meretur
Sperari, dabit haec[2]) *plenius ipse Deus.*
Quamvis ante diem raptus morieris et ante,
Quam possis fructus explicuisse tuos.
Ille perinde tamen vix cepta remunerat ista,
Ut si perfecto praestita fine forent.
Absorptum tanti facit atra morte Vigandum,
Quanti, si longos expleat ille dies.
Et ferat innumeros in nostra negocia fructus,
Quos allaturus, si superaret, erat.

1) Imago Orthii. 2) Dil. scripsit *haec*, Vultejus ipse *hanc*.

Interea nostros illius morte furores
Plectit et ingratas autor ademit opes.
Invidiae placida subtractus morte Vigandus,
Injustis odiis ne crucietur, obit.
Quot tamen interea, quot inertia corda manemus,
Quos privata nimis, publica nilque movent?
Sensit et indigno pubes studiosa dolore
Tacta tulit tanti non bene fata viri.
Quid igitur tyro studiis incumbis? et horas
Curarum vacuas non sinis ire tuas?
Quin tandem [1]) *Domino Musisque faventibus, acri*
Altius invidia tollis in astra caput?
Caetera mors perimit, manet invia gloria morti:
Non hanc, non animam vis truculenta necat.

Henricus Orthius Calernius.

Naturalem Philosophiam e reconditis atque abditis fontibus haustam inter Philosophorum subsellia tractavit primum, eoque in munere constitutus primo, qui studiis deferri solet, honore impertivit Fridericum [2]) Reisnerum Mathematicorum in Europa principem, Professorem postea Parisiensem Regium, Rami praeceptorem, ac Petrum Paganum anno MDL Martio XIV [3]). Anno dein MDLXVI [4]) in agnati sui Wigandi Orthii locum surrogatus omne studium ad sacras literas impetrandas traduxit, stipendiariisque praefuit, donec anno MDLXXV [5]) Junii XXII vitam cum morte commutavit in parochiali templo ad tumulum soceri Adami Vegetii [6]) sepultus, cujus in locum successit Daniel Arcularius, ac honorificae mentioni haec addidit Nigidius Senior:

Hic Ephorus multos toleravit saepe labores,
Quos tulit infractus taedia multa ferens.
Interpres Sacrae Scripturae fidus amavit
Syncero [7]) *pure tradere quaeque modo.*
A Christi haereticos solitus depellere ovili,
In saevos acuit spicula dira lupos.
Tandem aerumnosa pertaesus munia vitae
Incola coelestis maluit esse plagae.
Deposuit corpus, sed liber spiritus astris
Aethereis fruitur perpetuisque bonis.

---

1) Tilem. *laudem,* sicut haud raro Dilichii verba negligenter expressit.
2) Locus inanis imaginis.
3) Ex Annalibus fac. philos. die XXIV Martii hoc factum esse docuit Tilem.
4) Sic correctum exstat numeri signum in cod. pro MDLVI, quod a prima manu scriptum et a Tilem. cum nota erroris receptum est. Tilem. in vita Henr. Orthii a se conscripta falso a. 1565 exhibet.
5) Hoc voluit Dil., manifesto errore scripsit MDLXV.
6) Qui plerumque *Crato,* proprie *Crafft* appellabatur.
7) Sic Dilichius cum ipso Nigidio.

Joannes Garnerius

Gallus.

Vir ornatissimus simul et doctissimus anno MDLX Calendis Juniis in numerum Theologorum receptus, quicquid erat vocis ac linguae, ad Dei verbum cultumque propagandum contulit. Tandem Cassellis expiravit anno MDLXXIV Januarii sexto: de quo Vultejus

Gallia perfidiae[1]) *populis suspecta remotis*
Paucorum propter perfida consilia.
Fit mihi grandis, ait, falsis injuria verbis,
Pseudoque Gallorum, non ea culpa mea est.
Cujus multa fidem reliquis soboles mea terris
Casta facit, facit hic plurima turba fidem.
Quae sua devovit moriendo corpora Christo,
Estque suum factis viva professa Deum.
En documenta dedit vobis Garnerius omni
Virtutum septus vir gravis ille choro[2]).
Et facie et verbis et factis sancta modestis
Pectora testatus, non dubiamque fidem.
Nec cito nunc testes hic nil nisi falsa videntes
Talpas, non his hic testibus autor eget.
In medium testis venit Illustrissimus heros
Guilhelmus nostrae duxque salusque plagae.
Cui quod erat forti fidus Patroclus Achilli,
Hic fuit obsequio Gallus, amore, fide.
Sic abolet verus falsi perjuria Galli
Gallus, in hoc radiat mentis imago meae.
Scurra potens vitae non dignus munere vivit,
Irrita qui fecit foedera, jura, fidem.
Quin etiam vivit nebulo perjurus, at ille
Garnerus longum vivere dignus obit.
Hoc sed utrumque Deus bonus in contraria vertit,
Foedifragus tacita morte perit nebulo.
Integer aeterno vivit Garnerus honore,
Sepositus terris, impositusque polis.

Nigidius autem:

Garnerius Gallus nostris peregrinus in oris
Tradidit Hassiacae[3]) *dogmata sacra scholae.*
Constans confessor Christi, qui pectore firmo
Hostibus a saevis mille pericla tulit.
Non timuit mortem, certo quae foedere cunctis
Imminet, at[4]) *nobis est adeunda semel.*
Jugiter hic priscos patres evolverat omnes,
Zelus in hoc ingens et pietatis amor.
Praeterea hunc mire Princeps Gulielmus amavit,
Gratus item reliquis fratribus inde fuit.

---

1) Cod. *pervidiae.*
2) Sequitur locus imaginis.
3) Apud Nigidium est *Hessiacae.*
4) Nig. *et.*

Mortalem eripuit saevus tantummodo vitam,
Qui dederat forsan dira venena latro.
Suspicio talis fuerat concepta quibusdam,
Sed poterat quavis et ratione mori.

Henricus Vietor

Fridbergensis.

E patria evocatus et M. Casparo Rodolphi Logices Professori et Ephoro suffectus sub Decembris finem undecimo Januarii anno DLXI more institutisque Academiae Logicae ipsius laudem persequutus est, Decanique munus vel secunda vice anno MDLXIV sustinuit. Postmodum susceptis summis Theologiae honoribus a Logicis concertationibus mentis exercitationem ad vim omnem Sacrarum Literarum traducendam putavit, eamque etiam ob caussam Professor simul et Ecclesiastes constitutus inter Theologos locum meruit, donec anno DLXXXI ipso trium Regum festo peste extinctus concessit fatis, cum interea temporis vel tertia vice in Academico Magistratu summum et dignitatis et gratiae gradum meruisset. Munus docendi in Ecclesia et Academia cessit Hunnio. Vietoris imagini Paganus hos versus ascripsit.

Omnibus haud eadem sacri sunt munera flatus,
Hic populum verbo pascit, at ille scholas.
Si tamen ex aequo face luceat unus utraque,
Laus quoque praestantis talia major erit.
Quapropter duplici Vietor cumulandus honore,
Quem pariter templi cura scholaeque tenet.
Macte igitur virtute Dei venerande minister,
Gloria te tanto digna labore manet [1]).
Jam tibi decreti, quod res testantur, honores,
Queis majora tamen postera secla ferent.
Nam quoque finitae post ultima stamina vitae
Vivus eris populi, vivus in ore scholae.

Quibus Nigidius haec subjecit:

Henricus Vietor doctrinae fama trilinguis
Extitit et nostrae celsa columna scholae.
A puero didicit praeclaras jugiter artes,
Quas praeceptores hunc docuere boni.
Ethica cum Physicis, Dialectica, Rhetoris artem,
Tanquam ungues plane noverat ille suos.
Postmodo Doctoris titulum sortitus honestum
Ordine ter clarus Gymnasiarcha fuit.
Explicuit dextre Scripturae dogmata Sanctae,
Quod Daniel Vates pluraque scripta docent.
Maluit hic pastor tolerare pericula mortis,
Quam sibi commissum deseruisse gregem.
Spicula sic mortis perpessus corpore tantum,
Vivet in aeternos umbra beata dies.

---

1) Imago Vietoris.

Justus Vultejus [1]).

Justus Vultejus Wetterae, oppido Hassiae non tam loci amplitudine, quam doctissimorum virorum, quos in omni disciplinarum genere tulit et hinc inde disseminavit quam plurimos, fama percelebri natus est anno aerae Christianae MDXXIX patre Joanne Vultejo ejus oppidi viro Consulari. Adolescens cum e domestica et umbratili exercitatione in doctissimorum hominum agmen et pulverem egrediendum putasset sibi, venit Argentoratum, isthicque loci Martinum Bucerum Theologum et Joannem Sturmium Oratorem et Philosophum insignem audivit utrique ob ingenii praestantiam et Graecae juxta atque Latinae linguae peritiam, qua excellebat maxime, charissimus. Hinc [2]) Lipsiam et Wittebergam digressus est vel eam comprimis ob caussam, ut magnum illum Philippum Melanchtonem cerneret ejusque institutione frueretur ac doctrina. Postmodum concessit Tigurum atque inde cum Basileam rediisset, eorum, quae didicerat, usum subiens ingenii vires vertendis nonnullis Graecis scriptoribus *Aeliano* videlicet, *Heraclide* et *Polyeno* [3]) periclitatus est, cum aetatis primum ageret annum XIIX. *Dionysii Halicarnassei* versionem, quam tentaverat idem, affectam quidem, sed quod Xylandro isthac in re praeventus esset, non perfectam reliquit. Hisce rebus constitutis per Brabantiam et Flandriam facto itinere Lutetiam Parisiorum profectus est, ubi annum non amplius unum commoratus per Heduorum civitatem et Celtarum fines rediens Genevam ad Calvinum, cujus jam tum fama nominisque celebritas universam Europam peragraverat, visendum deflexit. Inde in patriam revocatus ea dexteritate et successu scholam aperuit, ut Philippus Cattorum princeps viri fama excitus eundem Marpurgum evocandum judicarit anno a nato Christo S. MDLX, non solum ut pueritiae in Paedagogaeo moderaretur studiis, sed linguam etiam Sanctam traderet publice, quod ea sedulitate et industria usque ad vitae finem praestitit, ut non minus assiduitate, quam exquisita et minime vulgari doctrinae copia et varietate hominum ad se converteret animos, vir trium linguarum peritissimus et in omni scientiarum atque studiorum genere versatissimus, Theologus, Philosophus, Orator et Poeta non unus e multis, ut propterea etiam et constanti doctissimorum hominum judicio polyhistoris nomen meruerit. Obiit diem suum Marpurgi ultima Martii anno MDLXXV sepultus ibidem ad D. Michaelis aedem. Imaginem autem Vulteji Paganus hoc condecoravit modo

Effigiem Justi parva finxisse tabella
Vulteji, pictor, quis tibi fructus erit.
An quem vix digne Cous finxisset Apelles,
Tracturum tenui credis ab arte decus?
Fallere, picturaeque comes nisi viva triumphet
Fama viri, frustra dextera finxit opus.
Sed tanta est gravitas morum, constantia vultus,
Ut super astra suo parva nitore trahat.
Eximii faciem qui conspicis ergo patroni,
Dic, valeat patriae, grex studiosa, decus.

Ipse quoque Vultejus de se ipso et scholasticorum laborum suorum fructu gloriatur:

Vocibus illa meis respondet amabilis Echo
E templis, regnis, urbibus eque scholis.

---

1) Hunc omisit Tilemannus, inter philosophos, ut videtur, recipiendum. Exstat *Jo. Antrechti* orat. fun. in obitum Justi Vulteji. Marp. 1575. 4, iterum edita in Kuchenbeckeri vita Herm. Vulteji. Qua et Dilichius usus est et Adamus in vitis philosophorum.

2) Imago Vulteji.

3) Sic scripsit Dil.

Me duce quae tenerae sunt instillata [1]) *juventae*
Per sacra flumen agunt templa, lycaea, forum.
Ingenio nostro veneranda resultat imago,
Qua sacra, qua populi, quaque Licaea fremunt.
Quae tribuente Deo, felici semine dextra
Sparsimus in vasto totius orbis agro,
Orta suos fructus medias peperere [2]) *per urbes*
Pulcraque dant templis, gemina pulchra scholis.
Laus tibi summe Deus, non viribus edita nostris
Emicuere, tua sed miserantis ope.

De miseriis autem suis in hac vita exantlatis

Si libeat teneris mea damna retexere ab annis
Quaeque tuli, paucis dicere, quaeque fero:
Mira videbuntur nostrorum fata laborum,
Qualia vix multis sint patienda viris.
Ut lucem primum vidi, cecidit pater ante
Quam possem vultus oraque nosse puer.
Plura tamen divina dedit miserata potestas,
Optari votis quam potuere meis.
Hinc terras obii percursavique remotas,
Nunc aestum questus, nunc nocuisse gelu.
Nec semel extremis morborum vincla periclis
Nos apud externas detinuere plagas.
Post ubi perfunctus magnisque pavoribus actus
In patriam redii spe praeeunte [3]) *meam,*
Hic febris exhausti tenuavit corporis artus,
Pene etiam mors me saeva lucrata fuit.
Vix tamen evasi, cum tabida Phtisis inerti
Corripiens premeret corpora nostra situ.
Hac pulsa subiit graviori calculus ausu,
Afflixit nervos fortiter ille meos.
Tum vero cepit simulans redire noverca
Visaque jam matris velle subire vicem.
Tum rediit longis prope desperatus ab oris
Frater et in mediis lux erat orta malis.
Et quasi non in me satis omnia saeva fuissent,
Proh dolor ante suum tempus et ille perit.
Cum iterum paulo fortuna serena fuisset,
Pene dedit [4]) *ramex haec mea membra neci.*
Mox quoque spina gulam fixit transversa tenacem,
De manso stimulans pisce quod haesit onus.
An Deus hic mortem meditetur an haec quoque dextrae
Tela repulsurus sit meliore, latet.
Quicquid erit Domini, non est ingrata voluntas,
Quid volet hic, nobis ferre placebit idem.
Quos ego sim plures passus, tulerimque dolores,
Caussa mihi non est, cur memorare velim.
Laude Dei nomen celebretur: in omnibus illis
Illius auxilium praesto fidele fuit.

---

1) Cod. *instillatae.*
2) Cod. *pepere.*
3) Cod. *preeunte.* 4) Cod. *dedi.*

Quo non invitus fera fata subibo jubente,
Qui facit, ut mortis sint mihi damna lucrum.

Verum in obitum Vulteji Paganus:

Vultejum Charites gemunt Pelasgae [1]),
Vultejum Charites gemunt Latinae,
Musarumque chorus suum patronum
Et ducem Sacra lingua flet peremptum.
Ergo quem Charites gemunt Pelasgae,
Quem plangunt quoque Gratiae Latinae,
Quem lugent Sacra lingua, Pimpliaeque [2])
Sublatum sibi flent ducem Sorores;
Hunc omnis merito Scholasticorum
Coetus, patria tota, candidique
Testes integritatis et laborum,
Lamentis lacrymisque prosequuntur.

et Nicodemus Frischlinus:

Justo Pierides Vultejo solvite justa,
Cultor erat vestri maximus ille chori.
Nam seu Cecropium vellet deducere carmen,
Sive Latina suis verba ligare modis,
Sive etiam planis Tulli pro more diserti
Vocibus Hassiacae res celebrare domus:
Omnibus usque fuit numeris perfectus et unus,
Omnia qui justis conderet orsa modis
Hebraeae pariter commercia coelica linguae
Coetibus exposuit Martis in urbe Sacris.
Tum varias animo solerti tradidit artes,
Et doctos toto sparsit in orbe libros.
Pro quibus aeternas venturo tempore grates
Posteritas merito, si qua futura dabit.
Ille meliglossum Latio sermone Sophistam
Transtulit et varium primus adivit opus.
Ille Heraclidae lingua meliore libellum
Edidit et lucem jussit habere novam.
Ille et Nicaeum convenit [3]) *in ora Dionem* [4])
Itala Cecropiis aequiparanda senis.
Quid multis? pars nulla illi deperdita vitae,
Nulla viro requies, ocia nulla viro.
Nunc tandem exactis lacrymosi ambagibus aevi
Laniaca raptus morte quiescit humo:
Ille quiescit humo, sed praecoce morte peremptus
Heu desiderium liquit in orbe sui.
Nam lugent illum Lani quicumque Lycaeum
Seu discendo colunt, sive docendo regunt.
Illum omnes Hessi lugent, Thuringia luget,
Julia luget humus, Teutona luget humus:

---

1) Hic et infra cod. *Palasgae.* 2) Cod. a pr. m. *Pampliaeque,* corr. *a* in *i.*

3) An *convertit?* Non solum apud Dil. sed etiam in editione carminum Vulteji, cui praemissum est Frischlini carmen, *convenit* exstat.

4) Hinc concludere licebit, Dilichium per errorem supra Dionysii Halicarnassei versionem Vultejo tribuisse, quam suspicionem firmant ea quae de Xylandro dicit, in Dionem Cassium convenientia, in Dionysium non item.

Lugent et nostrae, si qua est ea fama, Camoenae,
Quaque virum possunt laude beare beant.
Nam favor [1]) *et virtus et Vatum lingua potentum*
Eripit a moestis nomina clara rogis.
Haec famam Coeli fulgentibus inserit astris,
Dignum laude virum Musa perire vetat.
Salve Juste, novum tamquam decus addite coelo;
Justitiaeque tuae praemia justus habe.

In manibus quoque sunt viri hujus doctissimi *Poematum libri V.* Latine et Graece conscripti; in quorum *primo Sacra* continentur *et monosticha in Veteris et Novi Testamenti capita: secundo sententiae: tertio varia: quarto Epitalamia: et quinto Epicedia et Epitaphia.*

Nicolaus Rodingus

Treisensis Hessus [2]).

In patria primum literarum initia et postmodum, cum uberioris ingenii spes affulgeret, Marpurgi vim ipsam rerum cognitionemque indefesso prorsus studio comprehendit, ita quidem, ut gemina isthic Philosophiae laurea ornatus, dignus habitus fuerit vel inprimis, qui a Philippo Principe filiis junioribus, non secus atque apud Homerum a Peleo Phoenix Achilli filio daretur comes, ut illos oratores verborum et actores rerum efficeret. Deinde anno MDXLIX ad vitam Academicam se transtulit, Dialecticam primum, post formandi fili ipsius orationis rationem non sine laude tradens poeseos tamen et Sacrarum literarum studiis non neglectis. Quorum ductu relicta professione anno DLIV sub Autumnales nundinas Francofurtenses ad ministerium Ecclesiasticum abiit Milsungam in statione Academica succedente Matthaeo [3]). Sed cum nondum vertisset annus a Principe revocatus anno DLV Ecclesiarum inspectioni et Theologicis studiis formandis anno MDLXXVI praefectus est. Ideoque etiam professionem ipsam solenni oratione auspicatus, eodemque Hunnio honoribus in Theologia summis auctus est, quos deinceps quasi per manus traditos IX Junii anno DLXXIIX Sonio tanquam brabeuta elargitus est idem, hancque homine [4]) iniit gratiam vicissim, ut, quum biennio post occubuisset, is praeceptoris ac promotoris sui manibus parentare voluerit. Dialecticam et Rhetoricam quatuor et sacras etiam postmodo literas quatuor annis docuit intereaque temporis et Rectoratus et Decanatus munere perfunctus est. Sub ejus effigie hi visuntur Pagani versus:

Cernitur hic facies Nicolai viva Rodingi
Externi referens corporis effigiem.
Ast animi picto latitans sub corpore virtus
Artificem superat nobilitate manum.
Haec patet authori, cui praestat munia, Christo,
Hanc etiam Christi sponsa pudica probat.
Dum pia Nectareo perfundens septa liquore
Pastor ab infestis arcet ovile lupis.

---

1) In cod. *Nam* custodis, quem dicunt typographi, in extrema pagina positi locum tenet, in ipso versu omissum est.

2) Cf. Adamus vit. theol. German., qui ex oratione in obitum Rodingi a Georgio Sohnio habita sua desumsit.

3) Image Rodingi.

4) Sic Dil., quod Filem. male mutavit in *hominis;* nam si corrigendus est scriptor, potius *ab* inserendum est.

Aegidius Hunnius [1])

Th. D.

Hunc natione Wirtenbergicum patria MDL anno XXI Decembris extulit Windenavia quatuor a Tubinga distans milliarib. Caeteroquin, quum eximium prorsus puero esset ingenium, parique is discendi aviditate flagraret, in eoque summe sibi elaborandum arbitraretur, ut quo uno homines bestiis praestent, in hoc hominibus ipsis antecelleret, id consequutus est, quod paucis contigit, ut Suaevos suos longe caeteris et studiis et artibus antecessisse videatur. Primis literis in patria tinctus, quum [2]) capessendis disciplinis judicaretur per aetatem aptior, in Adelphica [3]) primum, postea quoque in Maulprunnensi schola ocio ac facultate majore et maturiore, et labore atque industria superiore in artibus liberalibus percipiendis versatus est. Hinc Tubingae inter Principis Wirtenbergici stipendiarios ascriptus uno opere hanc incudem diem noctemque ita tutudit [4]), ut totius loci Professorum judicio dignus habitus, cui XVII aetatis anno Magisterii laurea decerneretur. Tubinga Marpurgum evocatus cum et Germanice concionando in arce et pro sugestu Academico Latine perorando industriae specimen edidisset, in D. Henrici Vietoris locum anno MDLXXVI suffectus est, ut non solum in Academia sacras doceret literas, verum etiam Ecclesiasten ageret simul. Atque hunc in modum, quum Tubingae jamdudum [5]) biennium concionatoris et Marpurgi modo professoris vices sustinuisset, anno aetatis XXVI Tubingae una cum Polycarpo Leysero summos in Theologica facultate honores adeptus est. Wittebergam denuo, cum ei cum Wilhelmo Principe conveniret minus, accitus [6]), et in eadem tum Antistitis tum Professoris munus egregie curans anno MDCIII diem obiit suum editis ingenii et eruditionis suae monumentis, quae sunt *Postilla; Conciones funebres: Catechismus: Precationum liber: Colloquia provincialia: scripta in Evangelium D. Matthaei et Joannis: in Epistolas Joannis et S. Pauli fere omnes, Polemicaque complura* [7]).

Joannes a Waldmanshausen.

Vir veteris prosapiae et imaginum, atque omni doctrina ornatus anno MDLXIII Augusti II publice docere [8]) et Matthaeum Evangelistam interpretari coepit, cum XXVII Junii fuisset praefatus. Huic cum ad suos rediisset in Professione illa Theologica successit Daniel Arcularius anno DLXXI Junii XIIX [9]).

---

1) Huius viri, quem egregium ubiquitariorum antesignanum appellat Til., vitam Adamus desumsit ex oratione parentali a Leonharto Huttero dicta. Qui accuratiorem eius notitiam consequi velint, utantur iis quae E. L. Henke in Herzogii Real-Encyclop. VI. p. 816—821 et exposuit ipse et ab aliis exposita indicavit.

2) Imago Hunnii.

3) Tilem. edidit *Adelbergensi.*

4) Til. *tudit;* in cod. prima syllaba stilo cerussato sublata est.

5) Tilem. edidit *jam totum.*

6) Asterisco addito Tilem. indicare videtur, accuratius dicendum fuisse, dimissum a Landgraviis Wittebergam esse vocatum.

7) Nonnullorum versuum et integrae paginae spatium in cod. vacuum Dil. destinaverat, ut videtur, aut indicibus librorum, quos multos H. edidit, aut elogiis testimoniisque postea addendis.

8) Locus imaginis.

9) Inter hanc et proximam vitam dimidiae fere paginae spatium relictum est.

Georgius Solmius [1])

Rossbachiensis.

In quo modestia et morum suavitas singularis cum pietatis et disciplinarum omnium exacta cognitione certavit, quas ipse in hac Academia et postea Heidelbergae publice privatimque professus et magno studiosae juventutis emolumento. Huic rerum divinarum studiis impense dedito cum ante quadriennium anno videlicet MDLXXIV mense Octobri ab Illustriss. PP. Wilhelmo et Ludovico Theologiae primum ac dein subsequente proximo anno Hebraeae linguae professio in visitatione generali demandata fuisset, quarum illam nobilis vir J. a Waldmanshausen, hanc Justus Vultejus Paedagogiarcha sustinuerat [2]) antea, Doctoratus insignia in hac Academia offeruntur anno DLXXIIX Jan. IV. Caeterum acceptis anno DXXCIII a Sereniss. duce Joanne Casimiro Palatinatus tum temporis Administratore literis, hac relicta Academia Heidelbergam [3]) secessit: ubi Theologiam tam scriptis doctissimis ingenii et fidei testibus luculentissimis, quam viva voce propagavit et illustravit sedulo. Scripta vero edita comprehenduntur tribus tomis *Primo de verbo Dei et ejus tractatione lib. II: Secundo Synopsis sive delineatio methodi Theologiae: Tertio Methodus Theologiae plene conformata: quarto Idea locorum communium Theologicorum: quinto Synopsis totius corporis doctrinae Philippi thesibus comprehensa: Sexto aliae theses de plerisque* [4]) *Theologiae partibus in Academiis Marpurgensi et Heidelbergensi disputatae. Secundo* vero *Tomo* continetur *Exegesis* [5]) *praecipuorum articulorum Augustanae Confessionis. Tertio* denique exhibetur *Exegesis interpretationis Scholasticae et Theologicae super selectos aliquot psalmos Davidis* [6]).

Daniel Arcularius

Cassellanus.

Magister artium e schola Tubingensi huc ad instituendos Stipendiarios traductus extra ordinem locos praecipuos Theologicos Philippi Melanchtonis, usque dum locus, qui homini inter Theologos tribui posset, vacaret, illustravit et orationem confluentibus undique auditoribus de ratione instituendi studii Theologici anno MDLXX Januarii XV habuit publice. Cum igitur per sesquiannum tyrocinium fecisset eruditionemque probasset omnibus, Joanni a Waldmanshausen surrogatus in numerum ordinariorum professorum recipitur anno MDLXXI Junii XV. Decanus dehinc creatus est anno DLXXIII ac decennio post Rector. Gradum autem Theologiae summum et Doctoris titulum promeruit anno DLXXV [7]) ac biennio post secunda vice Rectoratum gessit. Vita defunctus tandem X Aprilis anno DXCVI, quum annos XXV Professorem egisset et Ephorum vigilantissimum [8]).

---

1) Sic perspicue scriptum exstat per mirum errorem nomen viri Hunnianae doctrinae strenue adversantis, qui vere *Sohnius* appellabatur. Uberius de eo egit J. Calvinus oratione parentali, qua usi sunt Adamus, Tilem. al.

2) Sic cod., Til. *sustinuerunt.*

3) Locus imaginis.

4) Cod. *plerique.*

5) Cod. *Exesis.*

6) Spatium exiguum addendis relictum est.

7) Locus imaginis.

8) Cod. *viligantissimum.*

Bartholomaeus Meyer.

Alfeldiae [1]) Hessorum natus primis literarum in patria [2]) rudimentis positis, primo aetatis suae tempore in studiis literarum Marpurgi consumpto, cum esset felicissimi ingenii, omnes in studiis fecit progressus, ut XXI aetatis anno ibidem honores adeptus scholasticos publice privatimque cum laude docere coeperit. Literis autem divinis impense deditus quidem, grammatices tamen tam Graecae quam Latinae atque rudimentorum Mathematicorum egit professorem. Physicam dein aliquandiu professus cum esset, injunctum tandem illi jam tum aetatis anno XXVI concionatoris Teutonici Ordinis vices sustinenti, ut una cum Lonicero Theologiam deinceps doceret et Psalmos Theol. Studiosis interpretaretur. Interrupit tamen opus Philippus Hessorum Princeps, et Rectoratum, qui nuper Cal. Jan. ei commissus fuerat, eo quod virum Marpurgo Cassellas X Maji avocavit, ut concionatorem primum aulicum, ac deinde Superattendentem [3]) ibidem ageret, vices ejus Marpurgi subeunte Wigando Happelio. Obiit ibidem tribus annis septuagenario major in Christo feliciter placida morte anno MDC Octobri XVI. Mortuo hoc Epitaphium in summo templo positum inspici potest [4]).

Joannes Winckelmannus.

Cattohombergensis SS. Theologiae Doctor et Profess. urbis Marpurgensis Ecclesiastes anno MDXXC [5]) Wilhelmi Landgravii concionator aulicus, hanc accessit Academiam, vir doctus pariter ac diligens, ejusque Rector creatus est anno MDXCV, quo tempore dysenteria quidem grassari coepit graviter: sed Academia translata non fuit, quum Autumno remitteret contagium. Quinquennio post secundum Rector, sed extra ordinem, quia Molthero magistratus tantum fuerat quadrimestris. Postmodo quum anno supra sesquimillesimum centesimo quinto Mauritius Princeps quaedam in Ecclesiis Hassiacis abolita [6]) cuperet, iisque capitibus subscribere detrectarent Winckelmannus, Leuchterus et Mentzerus [7]), eosdem fide, qua obstricti erant, solutos Julii XVII dimisit. Quamobrem illi Augusti sexto tumultuante Marpurgi populo Giessam abierunt, ubi postea *Winckelmannus* Professor et Superattendens factus tum Pastoris, tum Doctoris munus egregie sustinuit. Scripta ab eo in posterorum commodum edita haec sunt: *Commentaria in Evangelium S. Lucae: in Epistolas D. Pauli ad Romanos, D. Petri et S. Jacobi: in Apocalypsin: Conciones* item *Funebres et Nuptiales*, scriptaque *Polemica* alia et *Postilla*. Finem vitae habuit anno Sal. MDCXXVI, aetatis autem LXXV [8]).

---

1) Sic cod., Tilem. *Alsfeldiae.*

2) Imago Meyeri.

3) Cod. *superatendentem.*

4) Epitaphium ipsum non est additum, sed spatium vacuum relictum. Quae apud Tilem. leguntur p. 108: *In obitum Landgravii Wilhelmi Concionem funebrem habuit, quae impressa est Schmalkaldiae an. 1593 in 4to. Cui praemissa Apologia contra Auctorem Relationis historicae*, per errorem in hunc locum translata esse videntur, cum ad Tilem. ipsius, non ad Dilichii narrationem pertineant.

5) Imago Winckelmanni.

6) Cod. *obolita.*

7) Cod. *Mantzerus.*

8) Ultimum enuntiatum postea additum esse, e literarum ductibus et colore atramenti apparet. Cf. quae de hac re in prooemio huius libri diximus. Parvum spatium inter hanc et Moltheri vitam intercedit.

Johannes Moltherus

Senior.

Natus est in Hassiae oppido Batteberga ad Ederam [1]) sito ipsa Palmarum Dominica anno Epochae nostrae MDLXI. A patre salutaribus bene vivendi praeceptionibus ad probitatem informatus et ad literarum studia instigatus, sed eodem intra XII aetatis annum orbatus, suopte motu et indole magna cum ingenii promptitudine, ast difficili interim tramite eadem in diversis scholis prosequutus est. Annos inde natus XIX ad patrii ludi moderationem e studiorum cursu fuit accersitus eamque functionem primam ipso Palmarum die anno MDXXC adiit. Quum vero post biennium taederet [2]) ejusmodi studiorum impedimenti, sponte resignavit, et quamvis aliud animo agitaret, illicet suasu avunculi Georgii Nigrini Echzellani Ecclesiastis et Superintendentis Grunbergam Hessorum ad oppidani ludi gubernationem retrahi se passus est. In quo pulvere scholastico postquam itidem per annum et aliquanto amplius sudasset, simulque ob eruditionem pariter vitaeque innocentiam et eximium concionandi donum paulatim magis magisque innotesceret, vocatione et jussu Ludovici Senioris Principis ad ejusdem oppidi ministerium ecclesiasticum provectus est, et ad diaconatum quidem anno MDXXCIII, ad superiorem autem locum anno DXXCVII. Interea temporis caeteris studiis Hebraeam quoque linguam excoluit ulterius eoque ejus notitiam perduxit, ut anno MDXCIV ad eandem profitendam accersitus in Marpurgensem migraverit Academiam. Quinquennio vero Marpurgi exacto, quum summum Academiae magistratum obiret, agnato et discipulo, viro perquam erudito et pio M. Joanne Schollio professionis Hebraeae extraordinario successore facto, Ecclesiae Fridbergensi Wetteraviorum suam addixit operam, anno superiori [3]) MDXCV Augusti XIV ab Arculario SS. Theologiae Doctor creatus. Fridebergam igitur concessit anno DXCIX mense Novembri ibidemque sexennium Ecclesiae pastorem egit fidelissimum, donec ab Hassiae Principe Mauritio anno DCV denuo Marpurgum accitus, Schollio Parochiam Fridbergensem dimitteret et postliminio mense Septemb. ad ordinariam se reciperet professionem Theologico-Hebraeam, atque anno insuper sequenti a Dominis ordinis Teutonici Ecclesia ad D. Elisabetham curae ipsius committeretur. Cum vero aerumnosum hujus vitae cursum absolvisset, vir utique rarissimae eruditionis, in omnigena literatura versatus, humanitate, candore et integritate singulari, laborum in studiis obeunda functione patientissimus, inde ne in adversa quidem valetudine desistens, et octo legitimas vocationes [4]) annorum XXXVIII spacio utilem ac fidelem operam scholis et Ecclesiae Christi navasset, duabus vicibus per annos XVII Theologiam et Hebraeas literas in Academia Marpurgensi professus, positis terreni corporis exuviis pie placideque spiritum Deo reddidit anno MDCXVIII die Martii XX aetatis anno LVII ferme completo. Filiam reliquit unicam et quatuor filios, Jeremiam Poliatrum et Consularem liberae Reipubl. Fridbergensis, Georgium Wetzflariae Poliatrum Joannem Medicinae Marpurgi Professorem et Johannem Philippum Londini Anglorum Medicinam factitantem: quorum tres primum Philosophiae et postmodum Medicinae Doctores creari, et quartum Medicinae licentia donatum iisdem vestigiis fortiter insistere vidit, ipse vere [5]) paterno fidelissimi educatoris et praeceptoris, non tantum in pietate et humanioribus literis, sed in ipsa quoque arte Medica, cujus erat peritissimus, munere

---

1) Imago Moltheri.
2) Cod. *tederet.*
3) Hoc verbum a Dil. in margine additum omisit Tilem.
4) Cum verbum desideretur, Tilem. addidit *sustinens.*
5) Cod. *vere* e *vero* corr., Tilem. *vero.*

defunctus. Parentatum vero est ejus memoriae a Joanne Combachio, professore philosopho, luculenta oratione in Panegyri Academica habita. Libellos scripsit varios *Theologicos* inprimis et[1]) ad *Philologiam* facientes, e quibus paucos edidit. In ejus effigiem D. Eglinus

Theologus Doctor, Divini praecoque verbi
Moltherus Senior, cognitione trium
Linguarum excellens, hac lucet imagine vultus,
Quo nec Philologus doctior alter erat[2]).

Balthasar Mentzerus.

Ad Hassiae fere limites, qui ad Werrham, oppidum est Hassiae Principum a Salinis illustre notumque omnibus factum, et Allendorffium ad Salinas Hassiacas denominatum. Id patriam nactus Mentzerus post patriae scholam Marpurgi optimis eruditus disciplinis per omnes honorum scholasticorum gradus ascendit, et Philosophiae pariter atque Theologiae operam in hac Academia navavit prorsus egregiam. Pastor Ecclesiae Kirtorffensis constituitur primo, indeque in locum Arcularii suffectus anno nonagesimo sexto supra millesimum quingentesimum et Doctor nuncupatus anno sexcentesimo Ephori munus sustinuit. Post cum Winckelmanno et Leuchtero Giessam contendit, ubi Professor Theologiae factus, non solum in Academia, verum etiam Ecclesia singulari industriae, prudentiae et eloquentiae laude suscepto functus est munere et scriptis patriam et reformatam a Principe religionem oppugnavit ingenii sui excellentis et exercitati satis varia atque rara cum eruditione, tum rerum Theologicarum scitu dignarum explicatione[3]) refertis *dogmaticis* et *polemicis* monumentis quam plurimis sparsim editis, quae sunt[4])

Ejus iconi in aere, Dilectione, fide et spe astantibus, inciso[5]) hi Bernh. Osterbaurii versus asscripti leguntur

Picturam Lector, quam cernis, imago piorum est,
Syncera Christum qui pietate colunt.
Affulgent Charites, Dilectio Spesque Fidesque,
Queis sine mortalis nemo beatus erit.

Joannes Schollius[6]).

Hic Hessus et quidem Battimontanus, Joannis Molteri fuit sympatriota, agnatus et discipulus, qui noctes diesque in omnium doctrinarum meditatione versatus id indefesso meruit studio, ut postquam Moltherus Fridbergam discessisset, propter eximiam eruditionem Anno MDC ad docendum Linguam Sanctam adhiberetur. Verum quinquennio post, quum Moltherus[7]) ad Academiam revocaretur, ille vicissim ad docendam Ecclesiam Fridbergensem accitus, eo se contulit ibidemque non ita multo post caelebs adhuc in ipso aetatis flore extremum diem obiit: vir utique pietate et eruditione insignis[8]).

---

1) *et* omisit Tilem.

2) Qui a Tilem. adduntur quatuor versus, non exstant apud Dil.

3) Imago Mentzeri.

4) Dimidia fere paginae pars vacua relinquitur enumerandis Mentzeri libris, quorum magna est series, destinata.

5) Verba *in aere — inciso,* quae cod. in margine exhibet, omisit Tilem.

6) Hunc omisit Tilem.

7) Locus imaginis.

8) Parvo haec ab insequente vita separatur spatio.

Gregorius Schönfeld

Senior.

In oppido Zahna ditionis Electoralis Saxoniae natus anno MDLIX patre ejusdem plane nominis; et postmodo ab avo materno, viro praenobili Michaële ab Arnsdorff, liberalissime educatus est. Hujus filius Joachimus e bello Suaecico [1]) in patriam redux, quum haud vulgarem in puero peritiam cerneret equitandi, fieri sibi facultatem petit secum in expeditionem Gallicam abducendi illum, quod tamen, cum pater filium hunc, quem habebat unicum, diligeret unice, fieri negabat illa paterna ϛοργή. Interea Matthaeus Dresserus, Ludi Septemviralis ad Albin moderator, Electoris nomine a Senatu Zahnensi, si quem habeant eximia indole puerum, sibi mitti jubet. Adhibito igitur ex omnibus dilectu *Schonfeldius* mittitur, qui cum integrum sexennium in eo ludo desudantibus ordinarie sit praestitutum, eos fecit illic progressus, ut etiam quarto exemptus ad Wittebergensem transmitteretur Academiam: ubi qua erat ingenii capacitate, brevi tempore universam liberalium artium Encyclopediam accurate edoctus, publico ornatur eruditionis testimonio et Magisterii titulo, non multo post receptus quoque in publicum Philosophicis disputationibus praesidentium collegium. Cum vero [2]) praeter caetera discendarum S. literarum tanto flagraret amore, ut iis immoraretur totus, id porro laboris assiduitate et, quo pollebat, ingenii vigore consequitur amplius, ut Electoris Saxoniae mandato et jussu supremi in Theologia honores et insignia ipsi ab Urbano Pierio S. Th. Doctore anno MDXCI solenni ritu conferrentur oblato supremi in Ecclesia Deliciensi pastoris insuper et Superattendentis officio. Verum tempore semestri vix intercedente a Christiano Saxonum Electore in aula Dresdensi concionator declaratur et superattendens [3]), quod et minime diuturnum. Cum enim Christiano illo Electore e vivis sublato religionis status illico mutaretur, Exorcismus, tanquam necessarius in paedobaptismo ritus, de novo inveheretur, etiam officio suo abdicatur *Schonfeldius.* Qui cum suis Wittebergam deproperans familia illic domi suae relicta, solus Palatinatum petiturus in transitu Cassellas divertitur, ubi a praeside Keudelio praeter spem et votum ad Wilhelmum P. delatus in aula contione habita concionator mox constituitur aulicus. Ex quo tempore tam gratiosus heroi, ut cum extremum is vitae terminum appropinquare ex minime obscuris praesentisceret indiciis, hunc suum ilico accersi juberet *Schonfeldium,* et in complexu ejus inter ardentes preces et dulces, quibus se erigebat, consolationes expiraret placide. Neque cum minore clementiae favore, quem a nunquam satis laudato Heroe ac patre unice commendatum sibi norat, complectebatur postea Princeps Mauritius. Quippe qui non tantum communia Synodi suffragia et vota, quibus is Supperattendens Cassell. eligebatur, confirmabat et rata jubebat; sed Collegio Adelphico Mauritiano laudabiliter [4]) aperto, Theologiae professorem eundem designabat amplius, et porro biennio post, probata modo viri industria ac fide, et, quam Academiae jam annum amplius integrum e cathedra publice docendo pariter ac disputando praestitisset, opera [5]), primarius Theologiae professor et Ecclesiastes a Mauritio Principe anno

---

1) Sic cod., Tilem. *Suaevico.*

2) Imago Schönfeldii.

3) *Cod. superatendens.*

4) Cod. *laudibiliter.*

5) Cum his non omnino consentiunt quae Strieder XIII, p. 172 sq. habet, iam a. MDIC, antequam Superintendentis munus sustineret, Schoenfeldium professorem in Collegio Mauritiano nominatum narrans, et Rommel Gesch. v. Hessen VI. p. 602 eum ante a. MDCVII Marburgi degisse negans. Sed partem certe eorum quae scripsit Dil. ex ipso Albo Acad. Marb. sumsit, ubi ad a. MDCVII haec exstant: *Volente et clementer decernente Illustr. nostro Principe Rever. et Clariss. Dn. Gregorius Schönfeld SS. Theologiae D.*

rediit, ubi non multi abierunt dies, quin Witoduri Tigurini primates ei de officio instaurandi gymnasii sui prospicerent, etiam stipendio decreto uberiori et adjecto subdiaconatu in suburbio. Accidit per id tempus ut Claudius Alberius Lusannae turbaret Ecclesias Heterodoxia, cujus orationes apodictas [1]) cum refutasset *Eglinus,* eo effecit, ut Vitoduro Tigurum evocaretur: ubi primum XV Juvenibus illis selectis praefuit, inde a Senatu confirmatus Monasterii Majoris Diaconatui adjuncta novi Testamenti professione, postea vero canonicatui, ubi ex Senatus jussu Cantum Ecclesiasticum introduxit primus in Ecclesiam. Cumque jam annum decimum eo perfungeretur munere, nescio qua infelicitate sua propter artem Chymicam acceptis e patria sua dimissoriis, anno MDCVI Hessorum Principi Mauritio suam in Academia nostra obtulit operam; quae cum non displicuisset, postera Pentecostes in arce Cassellana concionem habuit. Paucis inde diebus accepto viatico Marpurgum ablegatus est, ut in quartum professorem Theologiae ascisceretur, quod et factum anno proximo, cum a Schonfeldio Seniore XIX Martii SS. Theologiae Doctor Principis beneficentia et liberalitate renunciatus esset. Qua in professione ordinaria deserviens sub anni XIV finem etiam ad pastoricium in arce munus evectus est. Anno demum MDCXXII dysenteria correptus XX Augusti reddidit mortem naturae debitam. Scripta edidit aliquot *Exegetica, Dogmatica, Prophetica, Chymica,* ac de sua imagine hoc tetragramma [2])

Iconii facies haec est Raphaelis Eglini
Praeconis regni justitiaeque Dei;
Me Tigurum peperit: Doctoris honoribus auxit
Marpurgum; Princeps Mauritiusque fovet.

Georgius Cruciger.

Magnorum Theologorum Crucigerorum [3]), avi (quo in reformatione Ecclesiae Lutherus olim et Philippus parastata gaudebant ac symmysta) et patris orthodoxae fidei Assessoris constantissimi, nepos et filius nacsitur Mersburgi XXIV Septemb. anno MDLXXV, quum Gaspar junior pater SS. Th. Doctor, qui Wittebergae multos annos Sacras literas cum laude docuerat, propter tempestatem, quae tum temporis in istius loci Theologos incubuerat praecipue, solum cum collegis vertere cogeretur. Sicut is autem a puero statim linguarum artiumque liberalium cultura summopere fuit delectatus; ita cum eisdem simul pietatis cognitionem, partim patris cura, partim opera praeceptorum, comprimis vero Doctoris Joannis Bilstenii, qui singulari dexteritate juventutem aliquandiu illic erudiebat, animo cupidissimo imbibit. Quae linguarum, Philosophiae et Theologiae studia porro apud exteros, primo quidem in Nassovico Gymnasio Sigenensi sub Joan. Piscatoris institutione, ultra biennium; postmodo vero, perlustratis tamen ante an. MDXCVII Lipsiensi et Wittebergensi, ubi per annum substitit fere integrum, Universitatibus, in Heidelbergensi Academia toto triennio continuo coluit uberius Keckermanno, Tossano, Calamino, Reutero et Pareo usus praeceptoribus. Quorum commendatione ac testimonio egregie honestatus [4]) An. MDC redit Cassellas, ubi edito prius specimine ex Mauritii Principis jussu scholae praeficitur [5]) aulicae, in qua selectiorem juventutis florem in humaniore literatura et vera informaret pietate. Sed perspecta illius in administratione muneris, quod toto quinquennio gesserat, fide et solertia, jam amplius voluntate Principis, judicioque Academiae

1) Sic Dil., Til. corr. *apodicticas.*
2) Cod. *tetragamma.*
3) De Crucigerorum familia Striederum accurate agentem commemorare sufficiat.
4) Til. enuntiato relativo perperam cum antecedentibus conjuncto h. l. distinguit.
5) Cod. *praefitur.*

procerum An. MDCV in Professorum Marpurgensium cooptatus numerum, assignata ipsi Logices professione ordinaria, in cujus etiam exorsum protinus Cal. VIIbris in publico consessu, praesente ipsius Celsit. perorat, auctus non multo post suprema Philosophiae laurea a Joan. Hartmanno rite designato Agonotheta. Caeterum biennio post in praelustri [1]) Gymnasio Betsanio professio Theologica ipsi [2]) defertur missis [3]) ea de re literis simul ad Hassiae Principem. Verum cum is hujus sui Professoris opera et laboribus Academiam suam destitui neutiquam vellet, eundem accessione stipendii facta devincit arctius. Cal. inde Jan. Anni insequentis conspirante patrum Academiae consensu ipse caput Universitatis et Rector eligitur, ac Cal. 7bris ex decreto Facultatis Theologicae subsequente reliquarum Facultatum assensu a Raphaele Eglino ei imponitur Doctoralis infula. At ipsis Cal. Octob. a Principe ad Nationalem deputatur et mittitur Synodum Dordraci in Holandia institutam obeunte interim vicariam Rectoratus administrationem Theodoro Vietore. Sed quum Synodus illa opinione omnium longius protraheretur, Rectoratus quoque dignitas et honos in subsequentem *Crucigero* prorogatur annum. Soluta et finita Synodo Marpurgum ipsi reverso nova eaque gemina offertur provincia. Quum enim eo tempore simul et Hebraeo-Theologica ob tristem D. Joan. Moltheri obitum vacaret professio, et ob senectutis incommoda venerandus senex D. Caspar Sturmius officio Ephoriae se ultro abdicaret, utraque munia haec [4]) demandantur, atque insuper anno MDCXXI Theologicae facultatis fit Decurio [5]).

Ex scriptis ejus prodiit vix tandem suasoribus atque impulsoribus amicis *Harmonia quatuor linguarum cardinalium*, in qua ex Hebraea ceu fonte reliquarum origo et earundem inter se cognatio clare ostenditur. Reliqua vir alias propter summam industriam et linguae Latinae, Graecae, Hebraicae, adde quoque Philosophiae et Theologiae cognitionem exquisitissimam [6]), omnibus bonis commendatissimus, consulto premit, dum et politius singula limarit ante, et, Dei clementer nos iterum miserantis gratia, mitior aliquanto, sedatis bellorum tumultibus, aura aspiret Musis. In ejus Encomium D. Eglinus:

Clarus avo Cruciger, clarusque parente Georgus
Doctrinae neutro laudibus inferior.
Theiologus solidus, studiosae Ephorusque juventae,
Linguarum excellit notitia atque crisi.

Joannes Crocius [7]).

Matthiae theologi Cycnaei, D. Lutheri *συγχρόνου* nepos, D. Pauli Superattendentis Witgensteinii filius, an. Chr. MDXC die XXIIX Julii Laspheae natus in patria schola pietate et Latinae Graecaeque linguae elementis imbuitur: anno MDCII Herbornam mittitur, ubi confecto classicarum lectionum cursu ad scholam promovetur publicam anno MDCV. Inde

1) Sic cod., Til. *illustri*.

2) Cod. *ipsis*, quod corr. Tilem.

3) Imago Crucigeri.

4) Haec Dil. scripsit, pro quibus Tilem. edidit *huic munia*.

5) Trium versuum et dimidiati spatium relictum est aliis addendis. Cruciger Marburgo discessit a. MDCXXIV a Ludovico Landgr. dimissus, atque mortuus est Cassellis a. MDCXXXVII.

6) Cod. *exquisitissam*.

7) De Jo. Crocio, non solum in antiqua Philippina, sed etiam in instaurata a. MDCLIII a Guilielmo VI Landgravio academia Marburgensi professore hujusque prorectore primo nuper peculiari dissertatione egit Frid. Ed. Claus, Johannes Crocius, ein biographischer Versuch. Marb. 1857. (Cassel. 1858.) 8.

Marpurgum profectus philosophiae studium sic excoluit, ut a Facultate Philosophica dignus judicaretur magisterii honoribus, quos anno MDCVII diribitore M. Goclenio consequutus est, ac patre defuncto, cum Ecclesiae ministerio se consecratum sciret, deinceps in Theologiam totus incumbit. Hactenus autem cum parentum sumptibus vixisset, promissionibus superiorum persuasus Majoratum sibi demandari patitur, eumque sic gerit, ut non concionando solum et Theologice disputando se ipsum exerceret, sed etiam Philosophicis disputationibus et declamationibus, institutis eam ad rem collegiis, praeesset. Anno MDCXI Marpurgo discedit alibi uberiorem thesaurum usibus [1]) Ecclesiae aliquando exponendum collecturus. Sed cum in schola Bremensi apud fratrem Ludovicum Professorem et Ecclesiasten versaretur atque tum illius tum clarissimorum theologorum D. Pierii et Martinii docta gauderet conversatione, ab Hassiae Landgravio Mauritio ad Diaconatum in aula Cassellana vocatur, quem anno MDCXII mense Octob. adiens lectionem ei theologicam in schola aulica conjungit. Collega ex aula Roteburgum discedente An. MDCXIII ipso vere primariae illi accedunt [2]), et eodem anno ex consensu Principis et Academiae judicio Marpurgi Theologiae Doctor nuncupatur a Molthero XIIX Novembris. Anno sequente in Principis Brandeburgensis primogeniti Aulam Clivensem invitatur, quam conditionem quum gravi de caussa declinasset, paulo post Ecclesiae Palaeopolitanae, quae Cassellis est, pastor constituitur. Exin biennio elapso, cum Scultetus prius ei ex Marchia in Palatinatum rediturus persuadere conatus fuisset, ut Septemviro Brandeburgico Joanni Sigismundo operam addiceret suam, Crocius autem rei magnitudine deterreretur, et postea in Academia Francofurtensi ad Oderam Theologicae vacarent professiones, an. MDCXVI mense Martio a Septemviro vocatur, ut vel professionem in Academia, vel munus Ecclesiasticum in aula susciperet: quo etiam nomine ad Landgravium literae [3]). Cum itaque ex una parte Landgravius ejus opera perpetuo carere nollet, ex altera Elector iteratis instaret literis, Principis demum consensu per biennium in Marchia substitit et cum Electore in Borussiam profectus a concionibus illi fuit aulicis, adversariis in eum varia molientibus. Quum vero superioribus annis Schonfeldius senior hemiplexia sive paralysi dextri lateris correptus Professioni et Officio Ecclesiastico praeesse non posset amplius, a Mauritio Landg. revocatur Crocius anno MDCXVIII. Quem quo clementius foverat Elector, eo dimittebat aegrius, invitatum ultro, si non perpetuo [4]), saltem ad tempus. Quia vero biennio elapso se rediturum esse suo promiserat Principi, venia tandem impetrata per Dantiscanos et Marchicos in Hassiam reversus Ecclesiae suae restituitur, cujus curam vix postliminio susceperat, quum mense Octobri ab Academia Marpurgensi accersitus primarius professor et Ecclesiastes designaretur. Ipsoque igitur [5]) Februario anni MDCXIX professionem publica exorsus oratione sequenti anno Jan. Cal. Rector eligitur et Consistorii fit assessor mense Augusto, ac MDCXXII Ch. anno Decurio Facultatis. Tandem cum Academia Marpurgensis ad Ludovicum Juniorem Hassiae Principem anno MDC [6]) transferretur, *Crocius* Cassellas reversus [7])

---

1) Imago Crocii.

2) Hoc factum esse negat Strieder II. p. 398.

3) Tilem. addit *venerunt.*

4) Cod. *pertuo.*

5) Hoc inesse videtur in literarum ductibus minus perspicue expressis, qui versibus interpositi sunt. Til. eis omissis *Februarii mense* habet.

6) Spatium vacuum Til. explevit notis *XXIV.*

7) Post hoc verbum distinctione omissa dimidiam fere versus partem vacuam reliquit Dil. Quae de scriptis Crocii sequuntur, Tilem. omisit, alia quae ad vitam ejus posteriorem pertinent, addidit.

Controversiam, quae ipsi a Prussis mota fuerat, expedivit duobus libris in lucem editis, quos *Conversationis Prutenicae primam et secundam partem* appellat. Contra Pontificios *commentarium* edidit *de purgatorio* et *dissertationum Theologicarum Enneadem*. *Conversationis Prutenicae partem secundam* defendit *Apologia abstersioni*[1]) *Calumniarum D. Balthasaris Mentzeri opposita*. In effigiem autem D. *Crocii* Eglinus:

Doctor et Antistes Crocius celeberrimus urbis
Marpurgi, Adsessor judiciique Sacri,
Joannes, tali ore fuit, quem Gratia Suadae
Aurea commendat, Cognitioque Dei[2]).

---

1) Cod. *abstersionis*. Haec defensio secundae partis conversationis Prutenicae contra Menzerum edita est Marpurgi a. MDCXXIII.

2) Hanc Crocii vitam in Dilichii codice novem paginae vacuae sequuntur, antequam ad vitas professorum juris transit narratio.

PROFESSORES JURIS.

Joannes Ferrarius

Montanus [1]).

Inter Jurisperitos, quantacunque etiam scientia suisque in studiis varietate atque copia effloruerint illi, non est, quem nascentis Academiae Rectori praeferamus. Is fuit Joannes *Ferrarius* Montanus Amaloburgi, oppido Dioecesis Moguntinensis, natus [2]), vir ingenii [3]) sagacis et acris cumprimis judicii, Theologiae Baccalaureus, Medicinae Licentiatus, et tum quidem temporis juris utriusque candidatus [4]) atque Hessorum Principi a consiliis, qui anno MDXXVII in Dicasterio Principis XXIX Maji, quae sacra fuit memoriae Ascensionis Domini nostri, primus Academiae Rector suffragiorum renunciatione [5]) factus id munus sustinuit biennium. Inde primus omnium Juris Doctor in hac Academia a D. Joanne Rudelio Jurisperitissimo salutatus, secundaque vice Rectoris perfunctus munere honoribus solitis primum in hac Academia impertivit, ut vocant vulgo, Licentiatum. Idque pariter [6]) memoria dignum, quod cum anno MDXL quarta vice in amplissimo dignitatis gradu collocatus idem munus sustinuerit, Princeps reditibus auxerit Academiam propriis, quam hactenus stipendiis ex aerario suo persolutis sustentarat. Accessit et Procancellarii Academici honos, quem ei Principis ipsius jussu atque voluntate anno MDXXXI [7]) Ficinus Hassiae cancellarius detulit. Tandem cum anno MDLIIX nona vice Academiae assedisset gubernator, illique officia sua emensus esset abunde satis, laboribus fractus diem suum obiit vigesimo quinto Junii aetatis septuagesimo tertio in aede D. Elisabethae humatus, cui pro more Lonicerus et Meyerus parentarunt. Ingenii cumprimis et eruditionis summae reliquit monumenta *Annotationes in Justiniani Institutiones: Commentarium de Appellationibus, Supplicandi usu, Restitutione adversus rem judicatam, Exceptionibus, quae Sententiis objiciuntur, et Recusationibus judicum.* Praeterea *Commentarium quoque integrum ad Titul. Pandectarum de regulis juris ac in Feuda quoque:* itemque *Commentarium de Republ. bene instituenda* et *vitam Divae Elisabethae* carmine descriptam. Id vero admiratione dignum vel praecipue, quod

---

1) Orationem funebrem in obitum Ferrarii edidit *Joh. Lonicerus,* qua praeter Dil. usus est Adamus in vitis Germanorum jureconsultorum et politicorum. Heidelb. a. 1620 editis.

2) In margine nonnulla de ejus iuventute adduntur, quae cum postea eisdem fere verbis in ipso margine repetantur, h. l. omittenda esse duximus.

3) Cod. *ingenio.*

4) Cod. *canditatus.*

5) Cod. *renuncitiatione.*

6) Imago Ferrarii.

7) Immo a. MDXXXVI hoc factum esse, Strieder ex Annalibus Acad. recte refert.

cum anno aetatis decimo quarto operam dare coeperit literis primum discendi cupiditate, eo provectus sit, ut non immerito inter primos ejus aetatis jurisconsultos habendus videatur, qui jura civilia a fecibus Doctorum repurgaverit, vir profecto antiquae fidei et integritatis summae. [E patria vero schola Monasterium Westphalorum, ubi tum ludus frequentissimus, missus fuerat et exin Wittebergensem in Academiam abiens Theologiae dederat operam Melanchthonis auditor. Sed cum ingenio suo aptiorem duceret medendi scientiam, Medicinam exercuit ibidem ita, ut Licentiatus mereretur honorem et inter docentes cooptatus Rector illius scholae designaretur. Reversus autem in patriam Marpurgum invisens uxore ducta vidua a Dornbergero opulento cive relicta, in Senatum legitur, atque hac ratione ad Juris consultorum libros conversus suopte Marte eo usque est progressus, ut non solum Ficino Hassiae Cancellario probaretur admodum, verum etiam Juris Professor designaretur] [1]). Ejus autem effigiem Paganus his condecoravit versibus:

Quid venerabunda tacitos in imagine vultus
Figis, et immota stans pede lector hias?
Desine mirari visos si spirat odores
Post mortem tanti picta figura viri.
Talis enim Montanus erat Ferrarius olim
Justitiae praeses, praesidiumque Scholae.
Quem casti mores, mens integra, gloria juris,
Pictorumque manus eripuere rogo.

Balthasar Clammerus

Bojarus.

Hic inter Jureconsultos, qui huic Academiae operam navarunt, secundum locum tenuit, e Bojaria oriundus. Caeteroquin in Patriae gymnasiis liberaliter institutus et aliquo jam imbutus rerum usu, cum innotuisset plurimum, a Principe in hanc Academiam, quam aperire constituerat evocatus est, ut iis, qui ad juris studium appulissent animum, commonstraret viam et ad fontes intenderet digitum. Docuit autem Justiniani Imperat. Institutiones, donec ab Ernesto Lunaeburgensium Duce in consiliariorum numerum asscriptus Cellam abiit, susceptis prius in hac Academia anno MDXXXII U. J. Licentiae, quam vocant, honoribus, [vir excellens, sapientia et justitia praestans. Unde et Cancellarius declaratus floruit annum circiter MDXLII,] [2]) fatoque suo defunctus est ibidem senex admodum. Hominis memoriae haec consecravit Nigidius ille Senior [3])

Balthasarus nostri Clammerus grata Lisaei
Pars fuit et juris splendida fama Sacri,
Lunaeburgiacae sed post se tradidit aulae
Facundus, prudens, integer atque pius.
Huic inservivit per multos graviter annos
Atque Duci fidus profuit ille suo.
Longaevus tandem curis confectus et annis
Naturae cessit, paruit atque Deo.

---

1) Quae uncis inclusimus, in margine libri postea addita ex Adamo hausisse videtur Dilichius.

2) Uncis inclusa Dil. margini inscripsit ex Adamo desumta, qui ipse usus est Melanchthonis oratione de Ernesto principe Lunaeburgico. Plura de Clammero exhibet Strieder II. p. 207 sqq. et VI. p. 508 sqq.

3) Locus imaginis.

Joannes Rudelius J. U. D.

Qui Imperii in urbe Francofurdiana, quae ad Moenum est, natus ac postea nostrae Professor Academiae Ferrario Juris U. impertivit honores summos, qui Doctoris aestimantur titulo, primitusque in nascente hac Academia viro huic praestantissimo contigerunt. Rectoratum autem gessit Cal. Juliis initum anno MDXXXIV, quo Philippus Hessorum Princeps rebus in Suevia ex animi prorsus sententia confectis, ad suos rediit. Convenerunt eodem etiam anno Cassellis Philippus Melanthon et Bucerus super re Sacramentaria. Obiit tandem Rudelius Lubecae urbis Syndicus [1]): de quo Nigidius

Tu quoque Rudeli vir praestantissime quondam
Ornasti nostram jura docendo scholam.
Nobile Lubecum post te ditavit et auxit,
Quae fuerant modicae conditionis opes.
Rebus in adversis solito de more fuisti
In multos largus munificusque bonos [2]).
Sincere veteres coluisti semper amicos,
Candidus in cunctos integer atque bonus.

Justus Studaeus Elsanus.

L. L. Licentiatus et Professor Juris clarissimus [3]) Rectoratum bis et praeterea etiam vices Oldendorpii, quum is muneri huic praeesse non posset, sustinuit. Philippo quoque Landgravio fuit a Consiliis honorum insignia anno MDXXXIX consequutus, quae postmodum anno MDLIII Philippo Pistorio et Heiderico contulit. Inter vivos esse desiit Francofurti XI Julii anno MDLXX. De eo Nigidius

Justus Studaeus Legum jurisque peritus
Floruit in nostra jus profitendo Schola.
Justus erat: justa Justus ratione vocatus
Nomine Justitiae conveniente suo.
Hunc generum elegit celebris Ferrarius olim,
Virtutes spectans raraque dona viri.
Explicuit dextre sinuosa volumina legum
Dissolvens nodos Papiniane tuos.
Sed postquam conjunx mortales exuit artus,
Quam coluit vivam semper amore pio:
Prolis amans viduo pertaesus vivere lecto
Cogitat uxorem ducere velle novam.
Hanc dedit ad votum Francfurtum nobile Moeni
Emporium, claudens mortua membra viri.

---

1) Aliorum erroribus refutatis Striederus auctore Mollero docet, Rudelium a. MDLXIII obiisse, postquam a. MDXXXVI Marburgo discesserat, et a. MDXL munus Lubecense susceperat.

2) Locus imaginis.

3) Locus imaginis.

Joannes Oldendorpius [1]).

Hamburgi natus Saxonum urbe libera inter celeberrimos tum sui seculi, tum vero inprimis totius Germaniae Jure consultos nequaquam postremus. Hic puer indole adeo fuit eximia, et naturae muneribus ad juris studia ita habilis, ut non natus, sed ab ipso Deo ad eadem fictus esse videretur. Ideoque primis literarum rudimentis in patria positis in artium fere disciplinis omneis animi vires profudit [2]) atque ingenii, avunculi praecipue Alberti Crantii [3]) Historici clarissimi liberalitate adjutus, qui eam in rem impensas egit. Praeter caetera autem in Coloniensi gymnasio versatus majori opera se ad audiendum, legendum, scribendumque dedidit, in praeceptorumque, quos isthac in Academia habuit eruditissimos, incurrit vestigia, in juris et eloquentiae studiis vitae quasi tabernaculum collocans. Atque sic quidem e domestica exercitatione et umbratili medium in agmen, castra atque aciem forensem progressus et in doctissimorum quorumque hominum oculis constitutus Gryphiswaldiae, quae Pomeraniae Ducum Academia est, honoris in utroque jure summi cepit insignia. Neque multo post, quum tantam vim rerum cognitionemque cum ejus, qui consilio et oratione in civitate valet, scientia et exercitatione sociasset, Syndici munus apud Rostochienses tenuit. Atque sic in maximis caussis consilio et lingua princeps factus Coloniae primum et Marpurgi postea jus ipsum civile per multos annos non sine summa doctrinae, fidei, industriae et sapientiae laude docuit. [Jureconsultus acris judicii et in praxi dexteritatis singularis, qui in jure tradendo quid desiderarit, hinc colligatur, cum expoliri, inquit, debent solida doctrina, non distrahi altercationibus juvenum ingenia.] [4]). Caeteroquin Marpurgum venit VIII Julii anno MDXL liberali et honesto stipendio ex Agrippinensi Academia isthuc evocatus, tandemque, quum annos viginti septem illic summa dexteritate docuisset et infinitus forensium rerum labor ipso aetatis flexu et honorum, quos, sive Rectoratum spectes, quem administravit quater, sive Academiae, quam is annis quindecim egit, censuram [5]), sive denique summa virtutis et doctrinae praemia, quae viginti duobus juris Doctoribus et duobus Licentiatis tanquam Brabeuta contulit, intuearis, gessit prorsus amplissimus, decursu constitisset, Junii tertio anno MDLXVII mortem occubuit in summo templo tumulatus. Scripsit autem *Practicam actionum forensium* absolutissimam, qua verus exercendae jurisprudentiae usus ostenditur, itemque libros alios ad juris civilis interpretationem perquam accommodatos, nimirum *Isagogen seu Elementaria Juris naturalis, gentium et civilis* in aliquot titulos divisa: *Decalogi seu Divinae tabulae explicationem: Expositiones in Leges XII tabularum: in Legem 2 ff. de origine juris scholia* scholiis Zasii adjecta: *Locos actionum juris Civilis communes: Formulam libelli, per quem editur actio: Formulam investigandae actionis, per quam unusquisque jus suum in judicio persequatur, cum deliberatione aequi et boni: De probationibus dictorum factorumque apud judicem praestandis: Annotationem de nominibus quorundam Imperatorum et Jurisconsultorum: De testibus* librum: *Usucapionum ac praescriptionum tempora ex jure Civili* ad conservandam omnium rerum oportunitatem: *De jure singulari*

1) De Oldendorpio Icto praeclaro cf. maxime Moller Cimbria litterata T. III, p. 518 sqq. C. A. Martini praefat. de vita Oldendorpii, quam novae Isagoges juris natur. ab illo conscriptae editioni (Vienn. 1759) praemisit; quibus usus est Striederus nova addens, errores corrigens. Accesserunt nostra aetate luculentiores testes Krabbe die Univers. Rostock im 15. u. 16. Jahrh. I. p. 374 sqq. 402 sqq. Kosegarten Gesch. d. Univ. Greifswald. I. p. 172 sq.

2) Imago Oldendorpii.

3) V. *avunculi* h. l. Dil. iterum postea addidit.

4) Quae uncis inclusimus, Dil. margine inscripsit ex Adamo desumta.

5) *Reformatorem* Academiae Marburgensis nominatum a. MDLIII testatur Album Acad.; v. supra Rectorum Catal.

sive privilegio brevem enarrationem ad cognitionem legum comprimis necessarium: *De Sententia seu pronunciatione judicis*, quam jurisconsulti ab effectu rem vocant judicatam: *De jure et aequitate forensem disputationem: Collationem Juris Civilis et Canonici: Explicationem L. diffamari C. de ingenu. manu: De Exequutoribus* item *ultimarum voluntatum: De copia verborum et rerum in jure Civili:* Restaurationem *politiae urbis Rom:* ac *Digestorum indicem.* Sub ejus iconi hi Pagani leguntur versus:

Aspice Caesarei venerandum Juris Athletam,
Quem tenui solers finxit in aere manus.
Oldendorpiacae decus hinc et gloria gentis
Dicitur: Ausonii portus et aura fori.

Apud Nigidium vero hoc carmen [1]):

Magne Oldendorpi, tu vivens juris asylum
Gymnasiique hujus sol velut unus eras:
Dudum quandoquidem superas invaserat oras,
Cui solido a ferro nobile nomen erat.
Multos scripsisti libros, quos Gymnicus atque
Gryphius ornatis excoluere typis:
Quin et Wechelus, noster quoque Colbus, iisdem [2])
Auxiliatrices adhibuere [3]) *manus.*
Hos si quis recitet, summi quoque sydera coeli
Atque maris fluctus is numerare velit.
Ejus in ore fuit crebro sententia Pauli:
Vita mihi Christus, mors mihi dulce lucrum.
Conjicere unde licet, quantus pietatis amator
Extiterit canus decrepitusque senex.

Joannes Lersnerus.

In hac Hessorum urbe natus [4]) ea a puero didicit [5]), quae non quidem ad speciem et prolusionem veluti gladiatoriam, sed ad usum ipsum valere viderentur praecipue, ut videlicet iis ipsis sententiis, quibus tyro proluserat, in erudito pulvere pugnare posset aetatis adultae vir. Ideoque postquam etiam omnem vim varietatemque juris summo studio summisque Doctoribus comprehendit accurate, Institutiones praecipue Justinianeas sibi seposuit, in quibus elaboraret, sed ita tamen, ut etiam Reipubl. regendae summi Dicasterii assessor constitutus partem attingeret. Anno quoque MDXLVII Academiae tractavit gubernacula eo sane tempore, quo maximis in luctibus versabatur patria. Nam Saxonum Duce capto, ejusque exercitu fuso hostis imminebat Hassiae finibus, et pestilentissimum tempus in eos saeviebat praecipue, qui corporis praestabant viribus, ita ut senes reliquaque turba imbellis a contagio prorsus esset immunis. Quin et Landgravius tandem ipse in Caesaris arbitrium atque potestatem venit, Iberorumque libidini subjectus est. Caeterum Lersnerus ipse vir optimus et praestantissimus in ipsa cura et meditatione obeundi sui muneris excessit e vita XIX Januarii anno DL et in summo templo conditus est, cujus laudes breviter in Professorum Elencho Nigidius:

---

1) Nigidii carmen pluribus locis immutatum exstat apud Boissardum in vita Oldend. alteri Iconum parti inserta.

2) In Nigidii Elencho exstat *Colbius, iisdem.*

3) Nigid. *exhibuere.*

4) In margine additum est *anno 1522*, quem annum Freherus recepit; Striederus contra a. MDXII eum natum esse tradit.

5) Locus imaginis.

Jureperitorum fama o ter maxima fratrum,
Lersnerae gentis nobile Jane decus.
Tu vita dignus praelonga, in flore juventae,
Heu cadis, o patriae splendida fama tuae.
Te rapuit[1]) *subito mors importuna, fuitque*
Aspera sors nimium fratribus illa tuis.
Te mirabatur juvenem sacra jura docentem
Martispurgensis tota corona scholae.
Principis illustris tu magna negocia dextre
Portasti, cano vix obeunda seni.
Bruxellis igitur contracta febre reverso
Stamina fatales dissecuere Deae.

Ambrosius Schurerus[2]).

Hunc J. U. D. Academia haec nostra aliunde evocatum excepit, ejusque praecipue eruditionem, ingenii alacritatem[3]) et memoriae, qua pollebat plurimum, promptitudinem admirata non admodum fovit diu. Nam e subselliis Academicis in solem processit et pulverem, non ut militari tabernaculo, sed ut e doctissimorum juris consultorum umbraculis, et Syndicus Reipub. Erfurdianae consiliis et oratione praecipue inservivit. Jus ipsum Saxonicum complexus est libro, quo ejusdem cum jure Civili consensum docet et digitum potissimum ad actionum fonteis intendit, ita ut nihil forensibus actionibus jure Saxonico conformandis videatur accommodatius. Rude tamen donatus abiit isthic. In consensum autem Juris Romani et Saxonici authore Ambrosio Schurero Hermannus Fabronius sequens Epigramma posuit:

Sunt tria, quae primas comprendunt juris: Honesti
Integritas, vitae cura, suique fides.
Caetera diversis e moribus urbis et orbis
Usurpat solito curia quaeque stylo.
Utque citra varios studiosa juventa labores
Saxonicis jungat civica jura foris,
Schurerus pulchris consensibus omnia junxit
Omnibus: Utilitas absque labore labor.

Christophorus Brechterus.

Argentorati natus in schola patria literarum praecipue studio, quod linguis continetur et disserendi ratione, se totum dedidit. Postea ab hoc veluti aditu januaque patefacta ad jure consultorum scholas transiit, jurisque ipsius publici prudentia et antiquitatis scientia instructissimus summam lauream meritus est, ita ut Jus Civile porro ipsum hac in Academia docuerit et ea, quae hoc in genere proponi consueverunt, non populari quadam trutina[4]), sed aurificis plane statera examinarit. Ei inter caetera et haec accinuit Fuldae poëta[5]) anno MDLXII Maji VI demortuo:

---

1) Cod. *rapit.*

2) Hunc inter viros doctos Hassiacos Striederus non affert. Pistorio propyl. p. 9 auctore cum circa a. MDL Marburgum venisset, mox Erfurtum discessit, ubi circa a. MDXC mortuus est.

3) Locus imaginis. 4) Locus imaginis.

5) Nigidium dicit. V. *poëta* alieno loco postea interposuit. Fuldae mortuum esse Brechterum, ipse Nigidius auctor est; Marburgi non ultra biennium ab a. fere MDLI commoratus fuerat.

Quin et Christophorus Brechterus jura docendo
Evexit nostram non sine fruge scholam.
Post alio se convertens, is denique Fuldam
Proveniens tenues amplificavit opes.
Vita defuncto priscorum more parentum,
Vita Deo cessit, corpus et ossa solo.

Jacobus Lersnerus.

Et hic Marpurgensis quoque inter Marpurgenses excelluit unus e multis, civilis sapientiae consultus, quam etiam viva voce in hac Academia propagavit. Ideoque hisque praesidiis instructior anno MDLVI [1]) dignitatis supremae in utroque jure cepit insignia distribuente Oldendorpio et Principe ipso Hessorum praesente, qui id post reditum e custodia Caesaris Consiliarii sui dederat honoris, ut huic renunciationi ipsemet interesset hominemque torque aureo virtutis ergo donaret. Vices quoque Cancellarii defuncto Ferrario in hac eadem Academia et anno MDLXXV pro agnato Hermanno Lersnero, cum is Comitiis interesset Ratisponensibus Prorectoratum sustinuit. Demum anno MDLXXIX Martii quinto placide expiravit, vir amplissimus, qui operam Reipub. et docendo et dicundo jure navaverat utilem ac fidelem non magis juris, quam justitiae et aequitatis consultus relicto P. P. jussu XXIII Martii Hermanno Lersnero J. U. D. agnato successore. Nigidius igitur

Tu quoque Lersnerae [2]) *soboles clarissima gentis,*
Morte cadis, patrii gloria quanta soli.
Te merito fatis sublatum Iacobe dolemus [3]).
Manibus et ferimus debita justa tuis.
Jus sacrum e nostra docuisti [4]) *saepe cathedra.*
Dum membris robur firma juventa dedit:
Haud aliter coluit te Princeps inde Philippus
Eximius belli cultor et ille togae.
Is tibi Doctori gratatus namque creato
Imposuit collo splendida dona tuo.
Extitit en torques obryzo flexilis auro,
Quem tibi tum Princeps motus amore dedit.
Non temere id factum est: illius namque favorem
Legatum toties te meruisse liquet.
Tu populos, Reges adiisti et saepe Monarchas
Perpessus nimbos, flumina [5]) *saeva, gelu.*
Exposuisti etiam magnis te saepe periclis,
Dum patriae inservis, clare Jacobe, tuae.
Quin [6]) *etiam nostrae Vicecancellarius idem*
Functus es officio Martis in urbe scholae.
Ornabas itidem Ludovici Principis aulam
Eloquio pariter consiliisque potens.
Vive Jacobe diu rutili nunc incola coeli,
Nosque securos [7]) *mox tua fata mane.*

---

1) Anno MDLIII hoc factum esse, Striederus VII p. 503 cum Albo Acad. consentiens tradit, id quod confirmatur ipsis Dilichii verbis, cum Philippus L. a. MDLII e custodia in patriam redierit.

2) Cod. *Lersnere.* Nigid. *Lersnerae.*

3) Locus imaginis. 4) Sic Nigid.; cod. *docuisse.*

5) Sic Dil.; apud Nigidium exstat *flamina.*

6) Cod. *quem.* 7) Cod. *secuturus.*

Christophorus Lersnerus

Marpurgensis.

Jacobi Lersneri Academiae Vicecancellarii et professoris frater cum per annos in Academia docuisset aliquot ea relicta in Ducatum Megapolitanum concessit ab ejus Principe in numerum Consiliariorum electus, ubi summa ei cura fuit judiciorum constituendorum, quo nomine terra ista ei debet plurimum. Inde Brunsuigum contulit sese, ibidem Syndici officio functus loci commoditate allectus. Sed quum imprimis vitae quietioris [1]) amore teneretur, Marpurgum rediit, ut animo forensibus negotiis defesso cura atque labore vacuus viveret isthic. Hinc porro rebus ita suis postulantibus Fridbergam abiit, ubi Aprilis XI anno MDCIII satis fecit naturae tribus annis octogenario major, vir in juris scientia versatissimus, gravitatis magnae et antiquitatis apprime studiosus. De hujus benemeritis sic Hermannus Fabronius:

Marpurgum prius, atque Megapolis inde, deinde
Brunsuicum, tandem Fridequeberga tenet;
Quanto Christophorus Lersnerus munere dignus
Inque schola praesto vixerit inque foro.
Dumque ita de patria meritus bene vixerit, idem
A patria merito posthuma vota capit.

Aegidius Mommerius

Limburgensis.

Cum anno MDLV amplissimos in utroque jure dignitatis conferente Oldendorpio adeptus esset honores LL. et justitiae cultor acerrimus, non adumbratam gloriae imaginem sed eminentem virtutis effigiem consectatus perpetuo in hac Academia docuit publice, donec ab Illustriss. Juliacensi Principe anno MDLIIX evocatus a minutis et angustis concertationibus scholasticis mentis exercitationem ad caussas Forenseis in augustissimo Imperii Tribunali, quod Spirae Nemetum est, cognoscendas atque constituendas traduxit, in numerum Assessorum Camerae adscitus, ut non immerito Nigidius hac hominem cumulasse laude videatur.

Mommerius fama multos superavit et ore,
Jure bipertito qui nituere, viros.
Jus docuit dextre multis mirantibus, ipsum
Doctrina juvenem tot superare senes.
Juliacus Princeps revocans hunc mox Gulielmus
Aulae inter proceres jussit habere locum. [2])
Hinc Spiram misit, Romani ut [3]) *Caesaris inter*
Tot sedeat medius jura ferendo patres.
Dein patriam repetens periit juvenilibus annis,
Nelidae dignus vincere secla senis. [4])

Wigandus Happelius.

Natus Marpurgi Hessorum anno MDXXII patre Wigando Happelio viro Ordinis Senatorii Consularis quum in patria schola adolescens Graecam et Latinam linguam egregie imbibisset, Lovanium abiit anno Ch. MDXXXIX, ubi tum insignis Mathematicus Gemma Frisius et Petrus

---

1) Locus imaginis. 2) Locus imaginis. 3) Cod. *et.*
4) Striederus VIII, p. 254 eum a. fere MDLXX mortuum esse tradit, Pistorio usus auctore.

Nannius docebant. Inde mox Wittebergam concedens cum magno illo Theologo D. Martino Luthero habitavit et Philippum Melanthonem, Casparum Crucigerum et Joannem Pomeranum audivit sedulo. Postea anno MDXLII Argentinam abiit, ubi tum erant Petrus Martyr, Martinus Bucerus, Joannes Sturmius, Paulus Fagius, Casparus Hedio aliique viri excellentes: unde Tigurum profectus Conrado Pellicano fuit domesticus. Apud hos viros et Fagium praesertim se linguae Hebraeae dedidit studio, in quo ita profecit, ut ejusdem *Linguae Canones* in lucem emiserit Basileae. Notus inde doctis cum Academia Marpurgensis Professorem S. linguae mortuo Noutzeno non haberet, ipse tametsi ad Juris studium appulisset animum, se nihilominus Academiae rogatu ad linguam Sanctam pertractandam dedit[1]) et Rectoratus insuper dignitate vel quarta vice auctus. Postmodum MDLVI anno jur. U. D. titulo ab Oldendorpio insignitus ad jurisconsultorum transiit ordinem et Codicem explanando ita se hisce abdidit literis, ut ad communem fructum afferret omnia et in aspectum lucemque juventutis proferret et tamen nihilominus[2]) Hebraea publice docere usque ad vitae finem non cessaret. Sextum inde Rector hanc dignitatem a Calen. Juliis usque ad sequentis anni Julium sustinuit, quo Musae avita sua sede expulsae pestis ipsius saevitia Francobergam commigrarunt. Decessit autem anno MDLXXII Martii XXI, praeter honores, quos e studiis retulit, inter cives quoque suos Consulatus dignitate auctus, sepultusque est in aede D. Elisabethae ad soceri D. Joannis Ferrarii latus. Justus Vultejus viri memoriam cum charitate hisce versibus usurpavit:

Legibus egregias laudes et jure docendo
Hebraicisque libris retulit Happelius.
Ille scholas Doctor docuit jus, civibus ille
Jus Consul dixit, gratus utroque suis.
Imperium patria gereret cum Consul in urbe,
(Scandere quis vellet celsius?) astra petit.
Planxerunt leges: luctus schola moesta peregit,
Tristis et urbs lachrymis astitit uda suis.
Vidimus elatum proceres deducere funus,
Vidimus afflictos tristius ire patres.
Omnibus extrema moriens qui voce salutem
Dixerat, hunc omnes non voluere mori.
Quis memoret, plures lachrymas castissima conjux
Fuderit, an nati? plebs minor, anne patres?
Non illi curae lachrymae: tenet altus Olympum
Nosque resultante voce valere jubet.

Antonius Heistermannus.

Brakelensis Westphalus J. U. D. summis quibusvis aetatis suae viris vel ingenio vel doctrina vel eloquentia par habitus prima studiorum tyrocinia in Westphalicis gymnasiis posuit, si quisquam alius, egregie. Postmodum ingenii quasi aestu quodam abreptus et in altum e conspectu pene omnium abstractus omnemque rerum et inprimis juris scientiam complexus Hessorum Principis Philippi accitu nostris hisce Musarum Penatibus successit hospes, munus docendi, quod post Oldendorpii obitum primarium contigit homini, oratione in collegio Lani anno MDLXIV Maji die septima habita auspicatus. Quo quidem in munere ita se tractavit, ut et docendo et de jure ipso respondendo ad summam authoritatem omnium consensu sibi paraverit aditum, id quod Paganus, qui tum temporis in viri laudem hosce versus edidit, innuit non obscure:

1) Quod factum est a. MDXLV Striedero teste. 2) Locus imaginis.

Hos Heistermannus vultus, haec ora gerebat,
Hospes in Hassiaca cum novus urbe foret.
A schola, quae juvenis teneros instruxerat annos,
Miratur reducis dona beata viri.
Quique cliens fuerat, nomen ducis ecce meretur
In juris figens clara trophaea foro.
Hoc illi variis parta experientia rebus
Praestitit in quavis, quam parit arte decus.
Dux[1]) *igitur laetos legum studiosa triumphos*
Concio, nam caussas fors agit aequa tuas,
Si modo signa ducis pede non titubante secutus
Per vada militiae typo forensis eas.

Sed annus a muneris functione quartus, qui[2]) *Heistermannum* Academiae Rectorem in Solmii Comitis locum cooptatum viderat, omnem spem atque omnia vitae consilia praematura morte suis luctuosa et bonis omnibus gravi pervertit. Obiit enim die Septembris duodecima anno MDLXIIX[3]), cum annum aetatis vix ageret trigesimum, ac in templo fuit sepultus. Parentarunt viro omnibus desiderato Justus Vultejus et Paganus. Nigidius etiam naeniam funebrem his expressit versibus

Heistermannus erat sacri nova gloria juris,
Eloquio clarus, consiliisque potens.
Sed spes o hominum varias[4]), *o gaudia vana!*
Abstulit hunc propera Parca maligna manu.
Discipulis fuit acceptus, quos jura docebat,
Hunc veluti proprium nam coluere patrem.
Nemo fuit, qui non virtutes fautor amaret,
In tanto summae quae nituere viro.
Qui[5]), *si fata illi plus temporis aequa dedissent,*
Pluribus hanc poterat condecorare scholam.

Valentinus Forsterus
J. U. D.[6])

Witteberga oriundus, exquisita doctrina et singulari industria vir, quod scripta, quibus nunquam intermorituram nominis famam collegit sibi, ostendunt praecipue. Hic Brunoniae primum Duci a consiliis isthicque locorum judicii praeses ab Illustriss. Hessorum Principibus hanc in Academiam ab obitu Heistermanni anno MDLXIX die Feb. IX omnium applausu evocatur, ut Antecessoris munus sustineret. Ac cum decennium huic praefuisset provinciae[7])

---

1) Sic cod.; scribendum videtur *duc.* — 2) Imago Heistermanni.

3) Freherus, qui in theatro vir. erud. conscribendo hoc Dilichii libro usus est, per miram negligentiam edidit a. 1618.

4) Sic Dil. scripsit, Nigidius ipse *vanas.* — 5) Apud Nigidium exstat *Quodsi.*

6) Forsteri vita a filiis conscripta commentationi ejus de jurisdictione Romana Helmstadii a. 1610 editae praemissa est. Quae Dilichius exhibet, ex Albo academico desumta videntur, ita tamen ut nonnulla eum non recte intellexisse appareat. Nam cum in Albo ad a. MDLXXX haec legantur: *In huius* [Forsteri] *locum in hac Marpurgensi Academia . . . Rector suffectus est, cui successit Clariss. D. Bernardus Copius,* non Forsterus ipse eo anno rectoratum gessisse censendus est, sed Regnerus Sixtinus, qui tempore legitimo rectoratum adierat, munus primarii Legum professoris Forstero antea demandatum suscepit, atque eius in locum Copius successit, qui antea graecas litteras philosophorum in numero docuerat. Falso igitur Dil. Forsterum bis rectoratu functum dicit, cum semel tantum a. MDLXXI hunc magistratum gesserit, eodemque vitio laborant quae in Rectorum catalogo ad a. MDLXXX referuntur. — 7) Omissum videtur *et.*

secunda jam vice Rectoris Academiae [1]) munus obtinuisset, anno MDXXC ipsius Rectoratus statim initio Heidelbergam ad primariam juris professionem in locum Hugonis Donelli arcessitus [2]) eo, Copio in honoris locum suffecto, concedit, quum quinquies ante J. U. Doctores renunciasset publice. Sed nec Heidelbergae admodum diu perstitit. Nam anno quinto post Wormaciam se contulit, ubi usque ad annum MDXCV commoratus operam suam Academiae Juliae addixit, in qua postmodum omnium eruditorum testimonio, cum prudentia, acumine, venustate et subtilitate, tum vero eloquentia, varietate et copia facile princeps e prima cathedra jus docuit atque ibidem diem obiit suum XXIIX Octobris anno MDCIIX. De Valentino Forstero et ejus filio Wittebergae ingenioso, Hermannus Fabronius:

Interpres validus Försterus juris et aequi
Floruit ingenio, floruit eloquiis
Inque Valentino Wilhelmo flora revixit
Forsteri, ad ripas, Saxonis Alba, tuas.

Hieronymus Turlerus.

Misnensis hic est, Dresdae natus, J. U. Doctor, cui Peuceri quidem commendatione docendi provincia fuit delata, verum cum pacto stipendio MDLX anno Aprilis XXIIX in patriam abiisset, ut supellectilem inde adveheret, mutato consilio, non aliter atque Ulysses Homericus patriam luculentissimae cuivis sorti anteposuit [3]). De eodem et amore patriae H. Fabronius

Prae Lano legit praestans Hermundurus Albim
Turlerus, patriae composita [4]) plana suae:
Quod si quis fuerit patriae dulcedine ductus,
Excusat natos patria quaeque suos [5]).

Nicolaus Vigelius.

Hic natione Hassus, Treisensis patria, quum ingenio reperisset Heidelbergae sub Francisco Balduino dignitatem in Licentiae gradu, quem vocant, collocatus incredibilem quandam in Legibus interpretandis et aequitate explicanda scientiam consequutus est, ut eam quoque ob caussam dignus habitus fuerit vel maxime, cui inter Jurisconsultos locus attribueretur praecipuus. Ideoque quum anno MDLX Octob. XVII de more perorasset publice, docendi munus aggressus est. Anno vero postmodum MDLXIV ad altissimum honoris gradum ab Oldendorpio una cum Conrado Matthaeo Doctor J. U. salutatus ascendit. Quo anno Petrus Paganus ipsius effigiei haec subjecit

Vigelii parva sub imagine corpus adumbrans
Pictor, at ingenii non penetravit opes.
Europae multis etenim notissima terris,
Qui capiat spacio dona tabella brevi?
Auxilio Sophiae per sparsa volumina juris
Ad methodum certus praeparat ille vias.
Et foetus animi crescentibus applicat annis
Venturis vivens testibus atque sibi.
Nec minus est vixisse sibi, si tempora currant
Improba, quam mundi falsa theatra sequi.

1) Locus imaginis. — 2) Cod. *accessitus.*

3) Non protinus, sed a. MDLXIV in patriam rediit testibus Pistorio aliisque. In Albo, unde cetera desumta sunt, de eius discessu nihil reperitur.

4) Sic cod. Fabronius ipse, cuius carmina manu scripta in bibliotheca Cassellana exstant, scripsit *compita.* — 5) Locus imaginis.

Caeteroquin non illum magis Jurisconsultum, quam justitiae multa, eaque praeclara prorsus, monumenta ad omnem memoriam commendabunt. Inprimis vero *Juris Civilis methodus*, quam accuratissima diligentia conscripsit ita, ut exteri etiam hinc, velut ex ungue leonem, hominem ipsum aestiment, admirentur et suspiciant. Neque abeunt reliqui, quibus[1]) ea, quae in jure Civili perplexa sunt atque obscura, distrinxit et illustravit, libri et commentaria. Cum autem jura Civilia publice docuisset XXXIV annis et juris U. Doctores octodecim itemque tres Licentiatos renunciasset, rude donatus est[2]) stipendio integro Principum jussu eidem relicto, et posteaquam VII Aprilis Anno MDXCIV professione abiisset, privatus deinceps vixit, donec podagricis diu maceratus doloribus X Julii anno MDC hac ipsa in urbe ex ista vita tanquam ex hospitio, non tanquam e domo discessit in templo summo tumulatus septuagenario major: Germaniae lumen, Hassiae decus. Vigelii scripta praeter *juris methodum* sunt *Juris Consultorum examen*[3]).

Hermannus Lersnerus

Marpurgensis.

Docere coepit anno MDLXIV Aprilis XII vir prorsus egregius omnique virtutis genere clarissimus, in quo nescias, utrum ingenii morumque suavitatem mirere magis, an fastu remoto gravitatem. Tertia is vice Academiae clavum tenuit Procancellarii etiam an. MDLXXIX ab obitu patrui Jacobi Lersneri dignitate auctus et PP. jussu mense Martio a proprincipe Burchardo a Cram astante professorum omnium corona[4]) proclamatus. Tandem ob longam annorum seriem impar sustinendis amplius Academiae oneribus rude ab Hessorum Principe Mauritio MDXCV anno stipendio relicto integro donatus ad vitae dies, naturae concedit Lengsfeldiae et in parrochiali templo Hersfeldensi sepelitur XXI Novembris[5]) anno MDCXIII annum agens LXXIX. De *Hermanno* vero *Lersnero* sic Fabronius anagrammate quodam poetice judicavit: MENS, VERENDIS LAURUS: ex quo colligitur HERMANNUS LERSNERUS. J. U. D.[6])

Mens generosa latens homini sub corde verendo
Nobile munifici munus ab arce Dei
Mens hederas virides floremque perennat acanthi
Ingenua frondes non positura suas.

Regnerus Sixtinus

J. U. D.

Natione Frisus, Leovardia oriundus, parentibus satus Nicolao Regneri et Witzia ab Hettema, puerilis doctrinae initia in patria primum, deinde Bolsvardiae posuit. Postmodum cum adolescentiae ingressus annos literarum praecipue amore exarsisset acrius domestico patrui magni Joannis Sixtini Icti in Anglia vita defuncti, qui adolescentis studia legato etiam juverat, exemplo

---

1) Imago Vigelii.

2) Dil. silentio premit causam missionis in libro a Vigelio edito positam, cui titulum inscripsit *Examen Ictorum*, insectationum in Herm. Vultejum aliosque dictarum pleno. Qua de re Strieder XVI, p. 323 sqq. plura affert cum Albo academico consentientia.

3) Alia non adduntur, sed spatium vacuum exstat.

4) Locus imaginis.

5) De suprema die diversa exstant testimonia; cf. Strieder VII, p. 508.

6) In carminum volumine Cassellano haec non reperiuntur.

illectus in ejusdem vestigia incurrendum putavit sibi. Ideoque mente cogitationibusque in jurisprudentia defixis Galliam inprimis, quae tum veluti ludus et officina jurisprudentiae patebat omnibus, adire voluit, parentibus defunctis eorum, quos sanguine[1]) attingebat, consilio et ope adjutus. Praecellebant eo tempore isthic cum omni virtutum et artium genere, tum vero vel juris inprimis intelligentia clarissimi viri Baro, Duarenus, Robertus, Cujacius, Corasius, Donellus, Balduinus, quos etiamnum miratur et deinceps admirabitur posteritas. Hos plerosque non audiebat publice modo assiduissime, verum etiam ad eosdem se familiarissime applicabat id operae pretium ratus vel maxime, si ad eorum, quos in jure paratissimos et consilio atque prudentia principes cognovisset, se suaque omnia effingeret. Ideoque his quidem et vitae et doctrinae magistris et doctoribus ea brevi temporis spacio et veluti per cursum arripuit, quae alii vix multis annis, adeo, ut vigesimo secundo aetatis anno summa in utroque jure laurea donatus fuerit Aureliis. Atque sic quidem e Gallia veluti e literaturae omnis emporio, quum propter orthodoxam, quam profitebatur, religionem reditum sibi in patriam, ubi tum temporis per vim grassabatur immensum Albanus, interclusum videret, Spiram Nemetum ad illud Romani Imperii tribunal contendit. Ita enim pro eo, quo pollebat, mentis acumine judicabat prudentissime in rebus forensibus usum atque exercitationem ingenii a doctrinae elegantia nequaquam segregandam ei, qui publica utilitate metiri cupiat omnia. Caeteroquin hoc in loco quum versatus esset triennium, comprehendissetque fere ea, quorum gratia isthuc venerat, tandem clarissimorum virorum D. Aegidii Mommerii et D. Aggaei de Albada Imp. Camerae Assessorum hortatu ac suasu Marpurgum se contulit, ut quae multo labore didicisset, eadem non minori industria impertiret isthuc aliis. Ideoque impetrato Academiae primum consensu anno Ch. MDLXIIX Octobris XI extra ordinem docere coepit gratis[2]). Verum cum majoribus Theatris ejus propositae essent virtutes, paulo post illustriss. Hassiae principum Guilielmi et Ludovici p. d. judicio et studio stipendium ei statuitur de publico, amplissimoque Jureconsultorum ordini adscriptus, eadem, qua alii, sorte et quidem Forstero Heidelbergam abeunte, prima e cathedra docere jubetur[3]). Anno postea MDXXC amplissimis praeterea honoribus et dignitate decoratus est. Nam et Reipub. Academicae gubernacula illi regenda tradita sunt et ipsi quoque Hassiae Principes ejus potissimum opera seorsim in consiliis et supremo Hassiae tribunali uti voluerunt, quibus in muniis obeundis atque tractandis studium ita posuit suum, ut Principibus apprime gratus gravissimis etiam quibusque Legationibus ab iisdem adhibitus fuerit. Atque sic quidem anno quoque MDXCI Legatus e Dania redux, quum se ejus temporis Theologis ob purioris religionis studium prae caeteris exosum intelligeret et libertatis amantissimus conscientiam suam illigari non pateretur, dimissione ab Hassiae Principibus impetrata et Senatu Academico XVIII Maji valere jusso[4]) Francofurtum ad Moenum concessit, ut impositas sibi illic supremi Syndici sive Advocati partes sustineret. Caeterum cum ibi substitisset triennium et a literatiss. Principe Mauritio in Hassiam revocaretur, ut isthac in aula consiliarii insisteret munus, etsi aliae conditiones luculentae et honestae tum in veteri Heidelbergensi, tum in nova Julia, quae Helmstadii est, quo ad primariam juris professionem accersebatur, deesse non possent, Cassellas tamen veluti patriam in alteram remeare maluit, praesertim quum ejus Celsitudo prae caeteris consiliariis immunitatem dedisset eidem. Sic itaque annos XXVI in hac sparta adornanda elaboravit, ut ejus in negotiis labor indefessus, in agendo singularis industria, in conficiendo

1) Imago Sixtini.
2) Album academicum hanc veniam ei datam esse d. XV m. Oct. refert.
3) Recte h. l. Dil. ea refert, de quibus antea in vita Forsteri falsa narraverat.
4) Valedictionem ad d. X. m. Maji refert Album acad.

prompta celeritas, in providendo prudens consilium emicuerit vel inprimis, atque propterea etiam ab eodem Principe dignus habitus fuerit, quem in secretiorum suorum consiliariorum numerum porro legeret. Nec attinet referre, qua fide operam suam, curam et studium aliis quoque Principibus, Comitibus, Civitatibus liberis et quibuscunque, quorum id intererat, in caussis agendis advocando et consulendo locarit. Sane ita viri rebus in omnibus spectata est industria, ut etiam propterea ejus opera certatim expeteretur ab omnibus, isque Groningam, Leovardiam, in Frisiam Orientalem, Saxoniam Electoralem et Rostochiensem Academiam oblatis amplissimis honoribus evocaretur. Sed quum ingravesceret aetas in munere hoc suo et leni ocio cum uxore et prole numerosa conquiescere, quam fortunae et dignitatis accessiones alibi quaerere et se variis migrationum molestiis et fluctibus incertis committere maluit. Augusto itaque statuae monumento largiorive praeconio non eget, qui clarissima virtutis et eruditionis trophaea in hominum animis defixa reliquit, et non solam viva voce, qua XXIII circiter annos non sine omnium applausu in Marpurgensi Academia jura docuit publice, sed et scriptis editis de *Regalibus*, et porro edendis nominis sui memoriam aeternitati consecravit. Obiit Cassellis anno MDCXVII die Maji undecimo, aetatis anno LXXIV, relictis gloriae paternae atque nominis aemulis D. Guilielmo Burchardo et Nicolao Hassiae principi Mauritio a consiliis, nec non Joanne Sixtino Halberstadii ad D. Mariam Canonico. De jurisprudentia et pietate Regneri Sixtini Hermannus Fabronius:

Sixtini faciem Cattus depinxit Apelles,
Testatam generis nobilioris opes.
Si genium juris, pietatis munera quaeris?
Metropoles Cattae quaelibet ista sonant.

et in Anagrammatum classe secunda [1]), REGENS REX JUSTINUS, ex quo REGNERUS SIXTINUS

Miraris, Sixtine, stylum? Justinus es: imo
Rex es regens a nomine.
Jus a Justitia, Justinus ab hacce: quid ergo,
Cum tu sies horum assecla!
Rex quapropter eris de nomine: juris ab arte
Justinus: utrumque convenit.

Bernhardus Copius

Strombergius.

Natione Westphalus Strombergae Monasteriensis Dioeceseos oppido natus anno MDXXV patre Bernhardo Copio, viro literato, Hervordensis primum, deinde Lemgoviensis scholae Rectore et postea in patria verbi divini ministro Coloniae Joannem Oldendorpium jura docentem audivit atque Gabrielem Mudaeum Lovanii. Primam operam suam exhibuit Collegio Bustorpiano Paderbornae, alteram scholae Monasteriensi, tertiam Tremoniensi, quartam denique Lemgoviensi. Postmodo ejusmodi pertaesus laborum Marpurgum concedens anno MDLXVI mox privatim docendo eum sese exhibuit, ut defuncto Joanni Lonicero in professione Graecae linguae surrogatus anno MDLXIX publice et hic doceret juventutem. Erat enim vir Hebraeae, Graecae et Latinae linguae peritissimus, Theologiae scientia multis, qui eam profitebantur, superior, summoque praeditus ingenio, eloquentia, consilio et sapientia singulari, qui omnem operam et laborem

1) In volumine Cassellano s. l. non hoc, sed aliud anagramma ad Sixtini nomen pertinens exstat.

non in philosophiae, quam hac in Academia e tenebris veluti productam atque caligine in luce [1]) statuit atque oculis omnium, modo studiis, verum etiam juris civilis disciplina, quam ne incompta prorsus videretur, eloquentiae dote locupletavit et ornavit, consumendum judicavit sibi. Ideoque hisce bellissimis veluti subsidiis instructissimus, quum ad eam, quae literarum studiis emergere potest uberrima, laudem spiraret, XVI Octob. anno MDLXVII summum in utroque jure dignitatis gradum assequutus locum inter summi tribunalis Hassiaci judices tenuit et mense porro VIIbri proxime sequentis anni extra ordinem dicendi [2]) munus, quod ei hac lege deferebatur, ne lectiones, quae ordine constitutae essent, ullo modo interpellaret, adiit. Sed paulo post anno videlicet DLXIX Graecas literas in philosophorum numerum asscriptus docere coepit, tertiaque adeo vice illius Facultatis egit decurionem. Tandem cum anno MDXXC [3]) Forsterus Heidelbergam abiisset, ad Jureconsultorum mense Augusto traductus subsellia in Institutionibus Justinianeis explicandis operam posuit. Verum anno proxime insequenti mensis IXbris die XII [4]) literarii sui ocii symbolis *Idea Philosophica* Platonis docendi methodum [5]) conscripta et *orationibus* aliquot relictis doctissimis, peste cum omnibus suis, una tantum filia superstite extinctus et authoritatis et prudentiae suae triste omnibus desiderium reliquit. Corporis, quas posuit, exuviae coemiterio ante Franciscanam portam conditae quiescunt. Copio luculenta oratione parentavit Hermannus Vultejus sub finem ejusdem mensis. De peritia vero ejus Hermann. Fabronius

Teutonicae, Latiae, Graecaeque peritia linguae,
Quamque refert fidei candidioris Heber:
In Copii genio suavi cumulata residit [6]),
Jungitur integra cum pietate fides [7]).
Digna viri facies tantis et honoribus aucta
Mens bona stant Cattae junctio pulchra scholae.

Hermannus Vultejus [8]).

Vir inter celeberrimos sui temporis Jureconsultos, natus est Wetteris Cattorum oppido anno Ch. MDLV Decembris XVI die paulo ante horam matutinam, patre Justo Vultejo tum quidem scholae patriae Rectore, postea vero Academiae [9]) Marpurgensis professore linguae Hebraeae et Paedagogiarcha, ingenio ad omnes disciplinas capiendas facilitate et felicitate insignis, ut qui anno aetatis duodecimo Graece et Latine pari industria scriberet et loqueretur; imo qui, quum linguarum et humaniorum artium cognitione excelleret praecipue, eandem cum literis quoque divinis, civilique inprimis sapientia conjungendam putavit, eoque indefesso prorsus labore progressus est, ut famam ingenii exspectatio hominum, exspectationem admiratio

1) Imago Copii.
2) Sic scripsit Dil., quamquam voluisse videtur *docendi*.
3) Dil. per errorem scripsit *MDLXXC*.
4) Eundem diem indicat Nigidius. Erravit Freherus m. Decembre posito, qui ceterum sua ex hoc Dilichii libro depromere solet.
5) Omissum videtur *ad*.
6) Sic scripserunt Fabronius et Dilichius.
7) Apud Fabronium exstat *Themis*.
8) Hermanni Vulteji vitam scripsit Jo. Phil. Kuchenbecker peculiari libro, quem Gissae edidit a. 1731, praeter alios fontes ipso Dilichii libro usus.
9) Imago Vulteji.

superaret. Heidelbergam missus, ut quae domi didicisset, excoleret porro uberius ibidem, triennium vixit isthic continuum et in laudatissimarum artium procreatrice et quasi parente, quam *φιλοσοφίαν* Graeci vocant, ita elaboravit sub magni nominis viro Zacharia Ursino, ut anno MDLXXIV Heidelberga in patriam revocatus gratissimam Musis lauream meruerit, Magistrique inprimis titulo hac ipsa in Academia IX Decemb. conferente eam D. Bern. Copio ornatus sit. Postea sese ab harum rerum cognitione tanquam aditu januaque patefacta ad Jurisprudentiam transtulit, cujus cum fundamenta satis felicia fecisset, uberioris ejus cognitionis hauriendae caussa in Galliam primum, exinde in Italiam profectus est, in qua utraque triennium integrum absolvit. Unde reversus Basileam, ut ad honores adipiscendos et Rempub. gerendam non nudus veniret et inermis, ipso die, qui Purificationi D. Mariae sacer est, anno MDXXC in solito brabeuterio inter caeteros praesente magno illo JurisC. Francisco Hotomano, cui familiaris fuit, insignia in utroque jure, summo cum applausu omnium consequutus est. Caeteroquin quum domum reversus in Stiriam, in qua annum vixerat, pararet reditum, Principum Hassiae Dn. Wilhelmi Sapientis et Dn. Ludovici Pacifici jussu praeter omnem spem et expectationem sub finem mensis Augusti ab Academia nostra vocatus et dignissimus habitus est, qui copiosissimam linguam Graecam, sine cujus cognitione in artium adeo ipsarum et rerum scientiis satis perite versari potest nemo, traderet publice. Sed Copius paulo post extinctus peste locum, quem et in Academia et Dicasterio supremo tenuerat, cessit Vultejo. Verum enim cum Regnerus Sixtinus se anno MDXCI munere suo, quod inter Jurisconsultos sustinuerat primarium, abdicasset, in ejus locum hic quidem suffectus est. Anno vero post, MDXCII, qui ob Wilhelmi Hassiae Landgravii munificentissimi Academiae Maecenatis et sapientissimi omnino Principis, cujus verba in toto passim Romano Imperio velut ex oraculo edita suspiciebant omnes, obitum, qui XXV Augusti diem incidit, patriae huic nostrae luctuosus fuit et funestus admodum Reipub. Academicae, tractavit gubernacula Rector, a quo etiam una cum professoribus XXIII Aprilis anni sequentis in consistorio Academico Illustriss. Principi Mauritio juramentum solenne praestitum fuit. Atque hoc quidem magistratu etiam secunda vice perfunctus est vel ob id memorabili, quod tum quidem variae constitutiones de eleemosynis erogandis et legibus quotannis praelegendis aliisque adeo rebus conditae sint. Procancellarii quoque Academici, quum isthoc munere anno MDCV Hermannus Lersnerus rude donatus abiisset, dignitate auctus est, jussuque Mauritii Principis eodem anno Ludovico Landgravio, quum is vita excessisset, oratione funebri parentavit. Quibus omnibus et haec accessit veluti auctuarii loco dignitas, quod anno MDCXI intra Consistorii Ecclesiastici Assessores asscriptus sit. Et inter hos quidem vitae ac dignitatum gradus licet a Regibus, Principibus, Comitibus et Civitatibus ipsius opera expeteretur, in ea tamen statione, in qua primum esset collocatus, manere maluit, forti animo infra se posita esse existimans, quae tam ambitiose plerique sectantur. De caetero clarissimos viros atque maximos sequutus, qui non minus otii, quam negotii rationem extare oportere arbitrantur, exquisitissimae doctrinae vestigia non pressa leviter ad exigui temporis praedicationem, sed ad hujus Academiae memoriam sempiternam fixa reliquit. Amplissimis enim hisce muneribus atque dignitate perfunctus annos nunc quinquaginta integros forensibus et scholasticis laboribus, tam in docendo et consulendo, quam scribendo positis ad hominum famam profluxit ejusmodi, ut eam nulla temporis injuria violare possit aut delere unquam. Quum enim non suis Hessis modo, sed exteris etiam prodesse vellet, in lucem et publicum dedit *Libros de Feudis*, *Commentarios in Institutiones juris et in quosdam titulos lib. III Codicis* qui sunt *de jurisdictione: itemque librum unum disceptationum juris scholasticarum.* Dedisset plura [1]), nisi ipsum

1) Mirum quod Dil. omisit Jurisprudentiae Romanae a Justiniano compositae libros II, primum editos Marp. a. 1590, postea saepe repetitos.

repressissent occupationes plurimae, eaeque variae. Hujus viri memoriam hisce versibus, ejusdem iconi subjectis, celebrandam sibi putarunt Eglinus:

Quem latet Hermanni Vulteji gloria magni?
Cujus adumbrari cernimus ora, genas:
Judicii Assessor, Vicecancellarius, estque
Hassiacae Antistes ter tria lustra scholae.

Et Jacobus Thysius

Picturam intentis oculis qui lector oberras,
Consulis et famae tot decora alta viri:
Hinc animo, inde oculis satias, mirabere utrumque,
Vulteji Hermanni vultum animumque senis.
Tot merita et tot gesta simul, qua juris et aequi
Personuere tuba pulpita, regna, forum.
O quam non vano vixisse putabitur ausu
Aeternum cujus nomine fama viget.

His adjunxit anagramma H. Fabronius: ES LUMEN UT URANIUS: ex quo colligitur HERMANNUS VULTEIUS.

Gallo Pybracius, Cuchalon tibi, fortis Ibere,
Splendor et Italiae Papinianus erat.
Lumen ut Uranius, Catta Vultejus ab ora
Europae fulget juris in arte solo [1]).

Philippus Matthaeus.

Conradi [2]) filius a puerilis doctrinae incunabulis se illuc contulit, ubi non seclusa aliqua artium et juris inprimis teneretur aquula, sed unde universum flumen erumperet. Ideoque uno opere hanc incudem diem noctemque tundens in patris viri doctissimi incurrit vestigia, cujus quoque munus et in docendo partes veluti haereditario quodam jure sibi relictas non attigit modo, sed explevit etiam. Nam cum is catarrho epidemico extinctus esset, hic quidem anno MDXXCI illam ipsam muneris partem, quam parens sustinuerat, subiit, eaque quae ad docendi [3]) artem pertinent, integrum decennium usque ad annum MDXC aestu et siccitate non minus memorabilem, quam generosissimo vino fertilissimum persequutus est ita, ut in hac una ratione tractanda quodammodo habitaret. At Vultejo surrogatus relicto Treutlero, quo perfunctus fuerat, docendi munus [4]) in Institutionibus et postmodum Vigelio rude donato Pandectis explicandis mentem cogitationesque defixit. Reipub. Academicae clavum bis tenuit et praeterea XIII Candidatis J. U. D. impertivit titulos et insignia. Tandem cum annos vixisset XLIIX, menses IX; dies XXIX et jura docuisset annos XII, Anno MDCIII Junii XIIX die [5]) hora sexta pomeridiana hydrope extinctus mortales corporis posuit exuvias, quae in summo templo conditae usque ad extremum judicii diem, quo corpora haec nostra reparata resurgent [6]), placide conquiescunt. Vir ut insigniter doctus, ita vitae sanctimonia et integritate conspicuus atque propterea longiori vita dignissimus. Verum ea cumprimis longaeva censenda est aetas,

1) Obiit Herm. Vultejus d. XXXI m. Julii a. MDCXXXIV.
2) De Conrado Matthaeo inter philosophiae professores agitur.
3) An voluit *dicendi*? Rhetorices enim professor et pater fuerat et ipse nominatus est.
4) Sic Dil. scripsit per errorem, ut videtur, pro *munere*.
5) Album academicum eundem diem mensis *Julii* exhibet; cum Dil. consentit Pistorius.
6) Locus imaginis.

non quae diebus circumscribitur quamplurimis, sed fructus virtutis atque auctoritatis capit extremos. Eruditionem etiamnum loquuntur *Commentarii*, quos *in Regulas Juris* edidit et posthumi in titulum *de rebus creditis*, quos ab obitu patris typis excudi fecerunt haeredes filii. De pietate et constantia Philippi Matthaei anagramma scripsit Hermannus Fabronius: TU ID PIUM SAPE: UT LAPIS[1]). Ex quo colligitur: PHILIPPUS MATTHAEUS J. U. D.

Non tam mira mihi lapidis censura videtur.
Quod creditum volimus, lapidi diximus.
Et lapis immotus persistit, saxa perennant,
Matthaee, cuncta nomini tuo quadrant.
Juncta tibi verae fidei constantia Christi,
Quam nullae machinae possunt confringere[2]).

Joannes Goeddaeus.

Media nocte inter septimum et octavum Decembris diem anno MDLV in hunc mundum natus patre Henrico Goeddaeo viro Consulari et matre Elisabetha Joannis Beckeri Senatorii ordinis illius loci et Christinae Praleae filia in Westphaliae Marchia, cui Swerte a gladio videlicet nomen, quo gemino pro insignibus Respub. illa utitur. In infantia et pueritia ad decimum octavum aetatis usque annum variis morborum generibus conflictatus, dubia admodum usus est valetudine, quo factum, ut sero[3]) ad ardua literarum studia accesserit. At quum pubertatis attigisset annos ex incommoda valetudine Dei beneficio emersus et literis inprimis delectatus omni studio ad artes discendas enitendum putavit sibi. Ideoque primis in patria schola imbutus elementis post in Tremoniana sub Joanne Lambachio Icto, Friderico Beurhusio, Joanne Copio et M. Philippo Fabricio aliisque in scholis Westphalicis et vicinis quicquid erat vel ingenii vel aetatis vel operae in artium liberalium cognitione collocavit. Verum cum miles Iberus tum praecipue immineret Daventriae, pater id e filii rebus arbitratus eundem a literarum[4]) studiis abstractum ad mercaturam et negotiationes impulit. At enim cum hominis conatibus in mercatura facienda minus responderet fortuna ipseque adeo pater perspiceret, Deum esse, qui hominis cujusque ingenium huc et illuc flectat atque commutet, eo filium redire permisit, quo mens ipsa inclinare videbatur. Anno itaque MDLXXVI nobilissi: adolescenti Joanni a Marca in Wilgasto praefectus remotis caeteris studiis, quamvis ampla ea essent prorsus atque praeclara, in Jurisprudentiam ea sedulitate incubuit[5]), ut labores ipsos, qui multi magnique in hoc studiorum genere collocandi sunt, omniaque adeo impedimenta diligentia industriaque superaret. Ideoque ut intelligendi vel inprimis acueret prudentiam, eaque, quae audiendo, legendo scribendoque comprehendisset, in succum quasi verteret et sanguinem, et aliorum quoque simul juvaret studia, inter parietes privatos jus ipsum docuit, disputationibusque inprimis ea, quae in hominum disceptationem cadere possunt, constituit et explicavit docte. Atque hac quidem ratione, quum hoc in studiorum genere summa fecisset omnia, honoribus quoque summis, qui non invitamentum ad tempus, sed perpetuae virtutis sunt praemium, anno MDXXCV Aprilis XXIX Juridicae facultatis decreto a Vultejo auctus est. Postea vero Spiram Nemetum

1) In volumine Cassellano poemata Fabronii continente hoc anagramma in Phil. Matthaeum exstat: PIUM PETAS, UT LAPIS.

2) Alii versus in vol. Cass. anagrammati adduntur.

3) *Serio* scripsit Dil.

4) In cod. exstat *literum*.

5) Hoc factum est Marpurgi, quo Goeddaeus a. MDLXXVIII studiorum maxime philosophicorum et theologicorum causa se contulerat.

concessit, non alibi quam in summo illo justitiae tribunali ea, quae forensibus actionibus forent accommodatiora, addisci posse ratus. Caeterum quum anno MDXXCVI in patriam Suertam rediisset eo tempore, quo Consules legi[1]) solent, Senatores ii, penes quos ejus rei potestas est, Doct. Goeddaeum in Senatum cooptant, cooptatum et absentem mox Reipub. suae Consulem renunciant publice. Quod licet ipsi perdifficile, recusare tamen verecundia inhibuit patriae debita. Praefuit igitur huic muneri cum per alios, tum per se ipsum, quoties necessitas urgebat et quando poterat, per biennium. Anno vero MDXXCIIX mense Junio vocatus ad ill. Nassovio Cattimelibocensem scholam, quae est Herbornae, e curia ad Gymnasii pulpita transiit, munusque hoc et pensum, initio X Augusti facto, usque ad annum MDXCIV accuravit; quo Marpurgum evocatus XXVII Aprilis, ut in hoc veluti ingenii theatro ea, quae praestantis Jurisconsulti propria sunt, quibusque se jampridem assuefecerat ille, pertractaret, III Nonarum Julii Institutiones Imperiales in D. Philippi Matthaei suffectus locum docere coepit et explanare, quum orationem de *Legis et hominis imperio in Repub. summo* habuisset ante pridie nimirum Calendarum Julii. At postmodum, quum Matthaeus abiisset ad plures, quem in docendis institutis habuerat, eundem in digestis explicandis ad id munus mense Septembri anno MDCIII destinatum, successorem habuit, quanquam si alia conditione uti collibuisset homini ad Codicis professionem Heidelbergam Palatini, post etiam Francofurtum ad Oderam Brandeburgensis Electoris nomine invitato eam ad rem opportunitas non deerat. Sed in sorte hac sua acquiescere et locum hunc vel luculentissimae cuilibet conditioni anteponere non dubitavit, ut vel inde appareat, eum, qui viri vel inprimis boni est, non lucri cupiditate, sed de juventute praecipue benemerendi studio ductum in hac vitae ratione versari. Porro anno MDCXI die Januarii X inter Consistorii Ecclesiastici, quod Marpurgi est, Assessores allectus et veluti in specula constitutus pro Ecclesiae et Reipub. salute animo excubat, homo juris civilis disciplina eruditissimus et ingenio prudentiaque acutissimus, id quod e *Commentariis in titulos de Sequestratione Juris Canonici: in titulum Pandectarum de verborum significationibus: Tractatu de contrahenda et committenda stipulatione et de mutuo* (qui tamen commentarius temere, non revisus editus est, prout Herbornae ab eruditioribus ex ipsius ore exceptus fuit) *Responsisque* itidem aliquibus *inter Consilia Marpurgensia* liquet vel inprimis. Otium si superfuisset viro fortasse, esset, cur speraremus ingenii et doctrinae exquisitissimae monumenta plura[2]).

In effigiem autem Goddaei Eglinus:

Consilio pollens hac gaudet imagine Doctor
Goddaeus, columen juris et alter apex;
Quem pietas, quem cana fides, doctrinaque clarant;
Assessor decorat spirituale forum.

His adjecit anagramma H. Fabronius: A DEO GENIUS DE SANO: ex quo: JOANNES GOEDDAEUS:

Barbaries hominem deformat bruta, regentem
Subjectas veteri conditione feras.
Humanam ratio faciem decet indita coelo,
Goddaei, haec animo et nomine dona geris.
Aque Deo genius de Sano diceris esse,
Qui colit aeterni fasque piumque Dei[3]).

1) Locus imaginis.

2) Trium versuum spatium vacuum relictum est. Nam cum haec scriberentur, in vivis fuisse Goeddaeum apparet, qui mortuus est d. V. m. Jan. a. MDCXXXII.

3) In vol. Cassell. primum distichum omissis duobus insequentibus hoc sequitur:

At, Goeddaee, tibi genium Deus addidit, ut sis
Sanus ad aeterni jura verenda boni.

Gotofredus Antonii.

Fröndenbergae[1]) Westphaliae oppidulo natus anno MDLXXI Petro Antonii patre et Francisca Fischeri Mendensis[2]) Consulis filia primis studiorum fundamentis Unnae, in oppido Ham, et Susati positis, quum in puero vel praecipue ingenii immineret alacritas et promptitudo, annos tantum natus XI a quodam nobili instituendis liberis adhibetur. Atque hanc quidem expectationem ita sustinuit, ut animum ab omni alia cogitatione ad discipulos artibus ad humanitatem informandos traduceret praecipue, duodecimque annos hanc in rem impenderet privatim. At postmodum cum iisdem Marpurgum anno MDCII[3]) nihil omnino fecit reliqui, quod quidem ad artium, jurisque inprimis disciplinam[4]) attineret. Ideoque e domestica exercitatione et umbratili medium in agmen et pulverem progressus subiit comprimis usum viresque ingenii in Jurisperitorum collegiis disputando ac praesidendo periclitatus est biennium, idque assiduis studiis, opera atque industria effecit, ut eas fortunae et dignitatis accessiones consequeretur, quae ejusmodi virtuti et eruditioni deberentur. Nam non solum Doctoris in utroque jure titulo a Philippo Matthaeo, uxore insuper ducta Elizabetha Conrad Pistorii ICTI filia, ornatus est et auctus Calendis ipsis Novembribus[5]) anno MDCIII Goeddaeo surrogatus in Institutionibus explicandis XIIX ejusdem mensis laborare coepit spectatae vir industriae, cum XVI Octob. de juris canonici authoritate perorasset ante. Caeteroquin cum inter haec Philippus Matthaeus Pandectarum Professor diem clausisset extremum, harum curam habere jussus est, quam etiam in annum usque proximum MDCIV sustinuit. Tunc etenim cum Theologis ritus quosdam Ecclesiasticos immutatos aegre ferentibus discessit Giessam, ubi etiam in nova schola primarium docendi munus suscepit Academiae postmodum constitutus insuper Cancellarius et primus novae Academiae Rector. Moritur tandem ibidem anno MDCXVI[6]) podagricis doloribus:

Antonius, facie veneranda, juris in arte
Perspicuus, Cattae pars quotacunque scholae.
Ambiit ingeniosa viri collegia pubes,
Ex quo victurae praemia laudis habet.

---

1) Apud Striederum, Feurbornii concione funebri et Reinkingkii orat. parent., quam Freherus quoque neglecto Dilichio sequitur, in describenda Antonii vita usum, nomen oppiduli est *Freudenberg;* Senkenbergius in orat. de commodis jurisprud. studio ab acad. Giss. natis habet *Freundeberg,* Pistorius *Freundenberg.* In albo academico inscriptus est *Godefridus Antonii Fronenbergensis Westphalus,* alio loco *Freundenbergensis* exstat.

2) i. e. Mindensis.

3) Quid haec anni notatio sibi velit, non perspicitur, quum verbum deesse videatur. Albo academico Marpurgensi adscriptus est a. MDXCIII—IV.

4) Locus imaginis.

5) Iterum nonnulla omissa esse ipsa verborum structura docet. Praeterea erroribus laborant quae Dil. narrat. Nam Doctoris honore ornatus est Godofredus Antonii ipso albo academico teste Cal. Nov. a. MDXCVI, in numerum professorum cooptatus Cal. Sept. a. MDCIII, ut Joanni Goeddaeo succederet, cui paulo ante Pandectarum professio Philippo Matthaeo XVIII. Julii mortuo demandata fuerat. Atque Institutionum professionem retinuit usque ad a. MDCV, quo anno exeunte Gissam discessit. Quamquam Freherus quoque e suis fontibus idem hausit, quod Dil. habet, Pandectarum professionem Antonio demandatam esse, cuius rei in albo academico vestigium non reperitur; nam ipso a. MDCV Institutionum professor aperte dicitur a Jo. Goeddaeo Rectore, qui ipse istud munus Matthaeo mortuo acceperat.

6) Immo mortuus est d. XVI Martii a. MDCXVIII.

Christophorus Deichmannus.

Steinfurto Westphaliae oppido anno MDLXXVI post natum Christum, patre Rutgero patriae perpetuo Consule, oriundus in schola patria fundamenta literarum fecit, et quum in puero egregia appareret indoles, Coloniam Ubiorum missus est, et inde Wittebergam, ubi annum unum atque alterum substitit, postea in vicinas Germaniae regiones, Boëmiam et Marpurgum etiam. Quod cum studiorum juris perficiendorum caussa aliis praeferret Academiis, aliquot annos ibidem est commoratus, donec Vulteji consilio in Galliam atque exin in Italiam proficisceretur, atque in utraque celebrioribus urbibus omnibus peragratis cum juris consultis ejus temporis summis et aliis magni nominis viris amicitiam contraheret, eo studio et contentione in artium jurisque disciplinis versatus, ut majori non potuerit quisquam. Ideoque quum cursum, quem non coeca fortuna, sed Dei inprimis providentia, parentum cura et constantissima hominis voluntas dederant, peregisset, eos honores consequutus est, qui ex hoc studiorum genere referri possunt summi, iisque solent esse vel inprimis jucundi, quorum dignitati laudatissimorum virorum consensus testimonium, non beneficium ambitionis dedit. Collegii enim Juridici antistitum suffragiis initis XIV Aprilis anno MDCV J. U. Doctor publice renunciatus cum festivitate hac nuptiales quoque tedas ducta in uxorem Vulteji filia junxit [1]). Nec ita multo post XV Octob. ejusdem anni in Jurisconsultorum collegium receptus oratione prius, quemadmodum moris est, ejusdem mensis XXII die *de docendi et discendi juris necessitate* habita docere coepit publice postridie eoque in cursu usque ad annum DCXXI non sine sapientiae et eloquentiae laude perrexit gnaviter. Nam quas veluti amentatas hastas a Jurisconsultis acceperat, ipse eas oratoris lacertis viribusque torquere solebat. Caeteroquin clavum quoque Reipub. Academicae anno MDCXVII tenuit Rector, quo tempore Principis ipsius jussu examen errorum et defectuum, si qui in Academiam irrepsissent clanculum, visitationem vocant vulgo, institutum est. Eodem pariter tempore Princeps evocatis Goclenio seniore, Crucigero, Paedagogiarcha et scholarum comprimis insignium Hassiacarum Rectoribus rationem iniit, quomodo deinceps aetas puerilis in Hassia ad pietatem et humanitatem fingi debeat et informari, quod ea in re non minimum momenti positum animadvertisset. Anno demum MDCXXI Sextili mense ad illustrem Comitem Lippensem ad Cancellarii officium vocatus ab Academia discessit. Eglinus igitur

Christophorus celebri Deichmannus nomine Doctor
Hac Pandectarum fronte Professor erat:
Hassiaci nuper non parva columna Licei,
Nunc Comitis praeses Lippiacique fori.

De eloquentia vero Christophori Deichmanni Hermannus Fabronius

Orpheus in sylvis immotas carmine quercus
Mulsit et arguta bruta ferina chely.
In Cathedra Deichmannus agens Ciceronia, prosae
Eloquio mulcet pulpita Catta suae.

Antonius Matthaeus.

Philippi frater, Conradi oratoriae Professoris filius, Francobergae (ubi tum temporis Academia propter pestem graviter saevientem morabatur) anno C. MDLXIV die Decembris XXVII natus, quum artium liberalium vim pene infinitam et materiam scientia et cognitione comprehendisset

1) Imago Deichmanni.

in Academiis Marpurgensi, Heidelbergensi, Wittebergensi et Altorpina et Julia a praeceptoribus Jurisperitorum eloquentissimis et eloquentium juris peritissimis Her. Vultejo, Regnero Sixtino, Nicolao Vigelio, Val. Forstero, Julio Pacio, Hyppolito a Collibus, Andrea Konchen, Eberhardo a Weyhe, Petro Wesenbecio, Andrea Rauchbar, Petro Heigio, Joanne Borcholten, Dethardo Horstio, Andrea Cludio, Hugone Donello et Huberto Giphanio jura omni animi contentione didicit: nec didicit solum sed et ipse interpretatus est docuitque alios, institutis privatim collegiis Institutionum, Pandectarum et Feudorum in Marpurgensi et Julia integrum fere quinquennium, ut videlicet iisdem deinceps sententiis, quibus usus in prolusione domestica illa fuerat, pugnare aliquando posset non secus atque gladiatores, qui antequam ferro decertant, in arena quid possint, experiantur prius, seorsim[1]), primasque hastas ita jactare discunt, ut porro, si usus sit, et venustati serviant vel maxime et reliquis quoque viribus suis consulant[2]). Sic itaque ea quae longissime ab imperitorum intelligentia sensuque disjuncta sunt, sequutus, quum gravissimam utilitatem levissimae aliorum delectationi anteposuisset, uberrimos[3]) quoque et laetissimos, qui nihilo omnino adotinent[4]), laboris et industriae fructus percepit. Nam summum in utroque jure non sine ingenii et doctrinae laude XXIIX Februarii anno Ch. MDXCIV, aetatis autem suae XXX consequutus, quum artibus philosophicis quadriennium, jurisprudentiae annos undecim studiosus impendisset, eodemque mox anno mense Junio Herbornae Nassoviorum in Goeddaei, inde Marpurgum vocati, locum substitutus est, ubi, quemadmodum et Sigenae, annos ferme XII, traducto ab omni alia cogitatione animo, jura docuit publice, donec literatissimi Hessorum Principis Mauritii accitu Marpurgum concessit, ut Gothofredi[5]), qui relicta Academia sub Novembris finem Giessam abierat, locum isthuc teneret. Sic itaque in Professorum Marpurgensium numero anno MDCV collocatus mense Januario sequentis anni docere coepit et boni militis instar locum, quem semel cepit, non facile deserentis, stationem ad annum usque MDC [6]) tueri. In lucem Herbornae emisit *notas in Institutiones* et *Disputationes earundem*, quas *Collegium Institutionum* inscripsit: Marpurgi vero seorsim *Disputationes Pandectarum*, quarum titulum fecit *Collegium Pandectarum*. Edidit etiam *Disputationes fundamentorum Juris*. Quae ejus iconi subscripsit Eglinus, haec sunt:

Erudiit multos multis Antonius annis
Matthaeus, tali praeditus effigie:
Exigit ad Canonem Sacrum quod civica jura,
Hoc illi pietas sedulitasque dedit[7]).

---

1) Sic verba distinxit ipse Dil.; alioquin magis placeret haec dispositio: *decertant in arena, quid possint experiantur prius seorsim.*

2) Locus imaginis.

3) In cod. est *uberrimus.*

4) Sic distincte scriptum est.

5) Antonium dicit.

6) Non solum anni notatio imperfecta, sed etiam duorum fere versuum spatium vacuum relictum est. Discessit Matthaeus Groningam a. MDCXXV, ubi a. MDCXXXVII mortuus est.

7) Sequuntur in cod. decem paginae vacuae.

MEDICINAE PROFESSORES.

Ericius Cordus[1]).

Simeshusio pago in Praefectura Battenbergica ad Bestavam fluentum, dimidio milliari Germanico a Wetteris Hessorum oriundus, parentibus quidem infimae conditionis hominibus, honestis tamen, et liberis suis recte educandis perquam solicitis[2]). Caeteroquin excellenti plane fuit animo, virtute ac doctrina, poeta, si quis alius, egregius, ut natura ipsa valuisse, mentis viribus excitatus, et quod Platoni de Poetis placuit eximiis, divino quodam spiritu afflatus fuisse videatur. Nec eruditum tantum hunc tum alibi, tum Erphurdiae attigit pulverem, verum etiam ab humanioribus hisce et elegantioribus literis ad serias magis et necessarias artes defluxit. Medicinam enim praecipue seposuit sibi, in qua factitanda elaboraret, licet id ipsum dissuaderent propter inopiam alii et ut Sacris initiaretur authores essent. Ideoque quum non minus artium harum gloria excelleret, quam virtute, sobrietate, pietate, rerumque omnium usu gratiam sibi et amorem omnium peperisset, Lipsiae primum poesin anno MDXVII[3]) omni cum gravitate et jucunditate explicavit, initio facto a[4]) Bucolicis, quae recens evulgarat. Lipsia decedens contulit se Erfurdiam, quae tum temporis cultu literarum et doctorum hominum frequentia florebat mediocriter, ubi quum se ad Georgii Sturciadis Medici insignis applicuisset familiaritatem etiam, quod ex Erasmi Epistolarum lib. V constat, sive publice sive privatim docuit. Sturciadem deinde in Italiam ad summos in arte medica honores consequendos profectum comitatus est: ubi ambo eadem dignitate ornati sunt et Cordus quidem a Nicolao Leoniceno Medicorum ejus temporis antesignano Ferrariae. Ex Italia domum reversus novem libros *Epigrammatum* evulgavit[5]) et Marpurgum anno MDXXVII vocatus, ut in Academia doceret, inter primos Academiae proceres veluti clarissimum sydus effulsit Reipub:que Academicae gubernacula anno MDXXX, quo Marpurgi de re sacramentaria habita fuit synodus, tractavit.

---

1) Cf. *C. Krause*, Euricius Cordus. Eine biogr. Skizze aus der Reformationszeit. Marb. (Hanau.) 1863. 8. Quo libro multo luculentius quam antea Cordi vita illustrata est. *Ericius* scr. Dil.

2) Quinque versus inter hoc et proximum enuntiatum interpositi ab ipso Dilichio expuncti sunt inter scribendum, quum paulo post res, quae eis continentur, alio loco commemoraverit.

3) Annum in margine adscripsit ipse Dil.; eundem ceteri qui Cordi vitam tradiderunt exhibent excepto Krausio p. 36, qui sub a 1514 Lipsiam eum se contulisse inde maxime concludit, quod Bucolica illo anno edita erant, et quod Camerarius paulo post Eobani e Lipsia discessum (1513) Cordum Lipsiam venisse narrat.

4) Locus imaginis.

5) Minus accurate hoc refert Dil. Nam duo Epigrammatum libri editi erant a. 1517, tres a. 1520, novem libri primum editi sunt Marpurgi a. 1529; iter Italicum autem in a. 1521 incidit. Ab a. 1523 usque ad a. 1527 Brunsvigae degerat.

Triennio etiam post Rectoris egit itidem vices. Tantum [1]) in eo veritatis studium, ut nil pejus odisset, quam vanitatem ac mendacia, unde et natura asperior et paulo impatientior quique ab omni fraude purus et ab arte simulandi alienus: ex quo fonte defluxit, ut in aliquorum interdum incurreret indignationem, ac tandem propter invidiam, qua premebatur, Bremam invitatus se Marpurgo conferret, ut istic consilio et opera civibus inserviret, ubi sub finem Decembris anno MDXXXVIII [2]) ex hac vita tanquam theatro animo aequissimo exiit ibidem ad D. Virginem sepultus. Quare ad Eobanum Jacobus Micyllus

Occidit Hesse solo tecum prognatus eodem,
At procul hinc alio Cordus humatus agro:
Ambas qui studio conjunxit Apollinis artes,
Idem seu Medicus, sive Poeta bonus.

Ejus vitam Petrus Nigidius Senior hoc prosequutus est carmine:

Saxoniae pingues Cordus dum deserit agros,
Praedulcis patriae captus amore fuit.
Hunc alunt vatem praeclara Erfurdia magnum,
Consortem studiis docte Eobane tuis.
Ausoniae doctas petiit post impiger oras,
Unde tulit studiis praemia digna suis:
Doctoris Medici titulum namque inde reportans,
Divina aegrotos saepe levavit ope.
Bucolicum lusit juvenili tempore carmen,
Nicandri Graecos vertit et ille libros.
Edidit hinc doctos, Epigrammata culta, libellos
Et salibus plenos suavibus atque jocis.
Multarum [3]) *fruticum docuit nos nomina vera,*
Herbarum nobis nomina mille dedit.
Infestus Latio multum fuit ille Baali,
Et cunctis, falsum qui docuere, viris.
Ignavos monachos odit cane pejus et angue [4]),
Justitiam meritis qui tribuere suis.
Ter felix genitor, natum qui protulit illum,
Orbis Germani qui quasi lumen erat.
Ast illum rapuit nobis ceu saeva noverca
Italiae quamvis inclyta Roma caput.
Nobiscum vivens pater hic bis quatuor annis,
Ornavit nostrae pulpita celsa scholae.
Tandem concessit Bremam: sola inclyta Brema
Digna fuit tanti condere membra viri.
Vix autem paucos inibi consumere menses
Sorte datum, rapuit mox phtisis atra virum.
Quae bona sunt, modico duntaxat tempore [5]) *durant,*
Complentur numeris pessima quaeque suis.

---

1) Haec verba usque ad — *conferret* postea a. Dil. margini inscripta sunt, deletis paucis quae antea scripserat. In illis scribendis usus esse videtur Adami vitis Germanorum medicorum, Heidelbergae a. 1620 primum editis.

2) De anno mortis testes dissentiunt. Apud Dil. ipsum VIII e correctione ortum est; quid antea scriptum fuerit, non dignoscitur. Additamenta quum saepe ex Adamo repetita sint, inde emendatio hausta esse videri possit, quamquam Adamus ipse annum trigesium quintum exhibet, octavum *aliis* tribuit. Nigidius d. XXVIII Dec. a. 1535 mortuum dicit, neque de hoc anno dubitari poterit, quamquam diem alii XXIV. m. Dec. fatalem fuisse dicunt. Cf. Strieder II, p. 288. Krause p. 122 sq.

3) Sic Dil., Nigidius ipse *multorum*.

4) Nigid. *angui*. — 5) Dil. scripsit *tempora*.

Caeteroquin genuerat Ericius Valerium Cordum, juvenem vel illa aetate doctissimum, qui, si vita homini contigisset diuturnior, in re Medica vix parem habiturus videbatur. Verum hunc terris ostenderunt tantum fata, nec ultra esse siverunt. Morienti Petrus Forestus Academiae Lugdunensis postea Medicus, cum quo conjunctissime Romae vixerat, ibidem astitit et febri exstincto occlusit oculos Calend. Octob. hora V. noctis [1]), quum primum aetatis attigisset XXIX. Fuit Medicus insignis et herbarum his in regionibus ignotarum indagator, cujus *in Dioscoridem* eruditissimae extant *Annotationes*, et hoc Romae Epitaphium ab amicis praeclari testimonii loco apud fanum Mariae de anima in regione Parionis, ubi inter plures Germaniae nobiles sepultus jacet, positum.

Valerio [2]) *Cordo Simeshusio Hesso Euricii medici et poëtae filio, integritate, moribus, ingenio, comitate praestantissimo, doctorum omnium admirationem merito, qui naturae obscuritatem et herbarum vires adhuc adolescens senibus explicavit, cum expleri cupiditate cognoscendi non posset, perlustrata Germania Italiam adiit, Venetiis in honore habitus et Romam vix ingressus crudelissima febre inter amicorum lachrimas non recuperabili studiorum jactura, florente* [3]) *extinguitur anno aetatis suae XXIX, homini optime merito socii Germani pietatis ergo pos. anno Salutis humanae MDXLIV, VII Kalen. Octob.*

Noscere Paeonias herbas viresque medendi
Jam natura homini facta noverca negat.
Invidiosa nimis rapuit monumenta vetustas,
Nunc etiam Cordum mors violenta tulit.
Hunc extinctum igitur vitae florentibus annis,
Tam procul a patria, crimen Apollo tuum est.
Lilia sic violaeque cadunt, absynthia florent,
Quanta eheu rebus damna parata bonis!
Italia huic tumulum tribuit, Germania vitam,
Qui poterat nasci clarius [4]) *atque mori.*

Aliud:

Ingenio superest Cordus, mens ipsa recepta est
Coelo, quod terrae est, maxima Roma tenet.

Scripta vero Euricii Cordi edita haec sunt: *Botanologicon* sive colloquium *de variis herbis: Bucolica* et *Epigrammata faceta*: et praeterea *Theriaca* et *Alexipharmaca Nicandri poëtae versibus heroicis* reddidit elegantissime. Ejusdem item judicium *de herbis et medicamentis simplicibus: de abusu Uroscopiae conclusiones* [5]). Viri famae hunc Fabronius asscripsit anagrammatismum: RUDI SUUS CICERO: ex quo colligitur EURICIUS CORDUS:

Posthuma non proles tu dicere, Corde, sed ex hoc,
Quod praedulce tuum [6]) *corde epigramma movet.*
Hinc celebris patrio Simeshusius orbe superstas [7]),
Atque suus rudi non — rudis [8]) *es Cicero.*

---

1) Temporis nota in margine addita est, omisso anno. Nigidio et Adamo auctoribus mortuus est d. XXV Sept. a. MDXLIV. Elogium sepulcro inscriptum habet: ANNO M. D. XLIV. VII. KALEND. OCTOBRIS., unde Dilichii error explicatur.

2) Sepulcri inscriptionem cum epigrammatis Adamus quoque tradit, qui plura de Valerio Cordo narrat l. l. p. 42 sqq.

3) Dil. omisit *aevo*.

4) Sic Adamus, Dil. absurde scripsit *claruit*.

5) Verba *Ejusdem — conclusiones* in marg. addita sunt.

6) In vol. Cass. exstat: *Dicere, quod scriptum*.

7) Sic Fabron. in vol. Cass. Dil. *superstes*. — 8) Dil. *rudus*.

Thomas Zegerus
Clivensis.

Medicinarum Doctor et Mathematicus, qui quum Marpurgensis Academia Illustriss. et sua per [1]) aethera notissimi Principis Philippi auspiciis exurgeret primum, eo se Principis ipsius accitu transtulit operamque suam publicae Academiae novae impendens tam Medicinam secundus, quam Mathematicas disciplinas reconditas sane et multiplici obscuritate involutas, tradidit et explicavit solertissime primus. Memoriae hujus viri Medicae artis operibus clarissimi in Professorum Marpurgensium Elencho Petrus Nigidius Senior [2]):

Zegerius Thomas, cum primum Academia nostra
Surgeret, hic Medica clarus in arte fuit.
Quadruplicem docuit magna cum laude Mathesin
Plebeiis gratus nobilibusque viris.
Post alio sese statuit conferre, relinquens
Post abitum famae nomina clara suae.
Saxonicas autem digressus venit ad oras,
Ut primum retulit nuncia fama mihi.
Rostochium quidam potius venisse putarunt,
Diversa ut multis garrula fama refert [3]).

Joannes Megobacchus [4]).

Spangebergae Hessorum non obscura Megobacchorum prosapia natus anno MCCCCXCV Februario mense, schola in patria ea complexus est puer, quibus veluti futurae doctrinae proludiis pectus ipsum acuitur. Varietatem et vim artium ipsarum Wittebergae primum, dein Erfurdiae in Eobani sodalitio aliisque in Academiis atque in Italia summo studio attigit et in Medicina praecipue ita versatus est, ut etiam honorum amplissimorum, qui laboribus, virtuti et scientiae in Academiis decerni solent, emeritus fuerit insignia. Neque tamen hic, quod vulgo fieri assolet, substitit, verum quum perspiceret ab iis tractari aliter artes, qui ad usum transferunt, aliter ab iis, qui ipsarum artium tractatu delectati nihil in vita agere cupiunt aliud, in eam rationem ingressus est, ut praecepta usu et exercitatione scientiam industria firmaret. Ideoque cum perspecta jam esset et explorata hominis dexteritas, idque mirarentur inprimis omnes, quod et posset, quod deceret facere, et quid quandoque deberet nosset aeque, quorum alterum artis, alterum prudentiae, non solum in Aulam [5]) accersitur a Principe, verum etiam docendis hisce in Academia artibus suffitur. Sed enim, quum e summis occupationibus aulicis, cum perpetuis fere peregrinationibus conjunctis, tantum temporis eripere non posset, quod Academicis exercitationibus esset satis, anno MDXXXV ex Austria redux sese docendi in Academia abdicavit munere aulicum vitae genus deinceps unice sequuturus. Atque ita XX annos valetudinis cum Principis ipsius, tum vero aulicorum omnium curam habuit studio, industria et fide nemini sui temporis comparandus. Concessit autem fatis Cassellis in summo templo conditus, ubi etiam epitaphium ejusdem aeri incisum hunc in modum legitur
INCLYTI HESSORUM PRINCIPIS PHILIPPI EIUS NOMINIS PRIMI ARCHIATER JOANNES MEGABACHUS A SPANGENBERG SIMPLICIA PATRI ET COMPOSITA MATRI

1) Dil. scripsit *sua per*, voluisse videtur *super* duce Virg. Aen. I, 379.
2) Locus imaginis.
3) Pistorius eum circ. 1529 Goslariam abiisse, a. 1544 Hafniae mortuum esse dicit.
4) Nonnulla ad hanc vitam in margine addita aperte ex Adami libro desumta sunt.
5) Imago Megobacchi.

RESTITUENS HIC SUB ASSIGNATO SIBI MARMORE SITUS EST, QUI VIXIT ANNIS LX MENS. VI. OBIIT VERO ANNO DOMINI MDLV DIE XXVII JULII, CUIUS ANIMA IN SANCTA PACE AETERNUM QUIESCAT. AMEN.

Iconi vero subscripsit Eobanus noster haec:

Nomen Joanni Megobacho, tempora vitae
Lustra novem, forma haec, ars Medicina fuit.
Quam vellem mores potuisset pingere et artem,
Depinxit vultus qui Megobache tuos.

Extant viri *Compositiones quaedam Medicae* et *antidota* usu longo comprobata.

Joannes Dryander

alias Eichmann.

Quod de Ithaca Ulysses apud Homerum Odyss. ι τρηχεῖ[1]), ἀλλ' ἀγαθῇ κουροτρόφος, id de[2]) Hassia usurpare possis pariter. Etsi enim aspera et montosa fere illa est, tamen nullo non tempore ejusmodi genuit et aluit viros, qui reconditis in artibus et quadam literarum varietate versati rerum cognitione praecipue effloruerunt. Atque inter haec equidem Hassiae loca eminet vel Wettera praecipue, quae etsi oppidulum sit exiguum admodum, tamen tot eruditione et doctrina praestanteis viros protulit, ut reliquis patriae oppidis omnibus hac in re palmam praeripuisse videatur. Hanc itaque pariter cum aliis patriam nactus est *Joannes Dryander*, Medicus, Anatomicus, Philosophus et Mathematicus πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων, ut Homeri utar verbis. Is juvenis non in desidiosa oblectatione, quod isthaec solet aetas, tempus posuit, verum acerrimo studio, optima doctrina et maximo usu cognovit atque percepit, quae viro, qui curam cogitationemque in utilitatem publicam derivare cupiat, tenenda sunt, ita quidem, ut ad honorum insignia, quae cepit Moguntiae, non obrepserit clanculum, sed vera virtute consequutus fuerit eadem. Ideoque quum Megabacchus aulae se addixisset totum, hic viro surrogatus Medicinam inprimis et mathematicas disciplinas non sine bono publico XXV annos docuit, ut nec majori gravitate, nec studio, nec contentione poterit quisquam, easque in statione, quum octies magistratu perfunctus esset Academico, vir singulari praeditus modestia Decemb. XX die anno MDLX[3]) occubuit, sed ita tamen, ut quod de se praedicat Ennius, etiamnum volitet vivu per ora virum. Reliquit enim imaginem suam non lineamentis aut coloribus, sed libris atque ingenii monumentis aliquam multis, veluti Phidiae Minervam expressam, unde hominis doctrinam aestimare liceat etiam deinceps. Sunt[4]) autem fere *Anatome capitis humani* Marpurgi ab ipso exhibita publice: *Anpuli Astronomici structura et explicatio: Disputatio quaedam medica: Cylindri* Astronomici instrumenti *Explicatio Germanica: Sphaera materialis sive globi coelestis explicatio: Cosmographiae introductio, cum quibusdam Geometriae et Astronomiae principiis eam ad rem necessariis: Astronomiae et Cosmographiae instrumentum una cum canonibus: Libellus Germanicus de Thermis Embsensibus Comitatus Decii: Praxis omnium morborum particularium universalis* Germanice edita: *Libellus de usu instrumenti nocturnalis pro captandis horis ex stellarum inspectu: Liber de Horologiorum varia compositione: de Astrolabii canonibus* et *quadrantis explicatione.* Pinxit et Dryander duos *globos Astriferos*

---

1) Dil. scripsit τρηχεῖ. — 2) *de* om. Dil. — 3) Imago Dryandri.
4) Librorum indicem paucis mutatis e Boissardi Icon. P. III. p. 300 sqq. desumsit Dil.

figuris et circulis egregie ornatos. Libros *Petri Appiani*[1]) *Aponensis de Venenis* et *Abraham Judaei libellum*[2]) recognovit et edidit, ut et *Joannis Stöphleri Cosmographicas aliquot descriptiones et de Sphaera Cosmographica conficienda* cum quibusdam aliis in *Ptolomaei Geographiam*. Scripsit etiam *Anatomen matricis: Structuram vulgaris Horologii Solaris* (compassum vocant) et de *Magnetis mira facultate: de diversis rotatis tam automatis, quam appenso pondere se moventibus horariis ferreis ligneisve: Canones in Sphaeram: in Organum Ptolomaei de compositione et usu* duos libros: *Cylindri in poculo efformandi rationem et usum: Astrolabium, ubi nec opus est rete, linea fiduciae, nec quoquam alio, nisi pertenui filo cum nodulo mobili: Quadrantem sexagenarium, Instrumentum dictum: Quadrantis Appiani copiosam explicationem et usum*, et *tractatum de duplici terrae projectione in planum pro mappis:* Librum quoque *de abditis rerum miraculis* sub manibus habuit. Praeter haec autem editi ab ipso sunt *Euricii Cordi duo libri Germanici de calculo curando et de urinarum judicio: de usu Christiano medici et medicinarum* libellus Germanicus: atque libellus *de peste*. Virum igitur sic vere describit Nigidius

Arte Mathematica praecelluit ille Dryander,
Et Medica pariter nobilis arte fuit.
Ex alta docuit magna cum laude Cathedra
Externis notus Teutonibusque suis.
Praefuit incautae mira gravitate juventae,
Dum gessit toties sceptra verenda scholae.
Herbarum vires cunctarum novit et aegris
Utiliter toties pharmaca tuta dedit.
Ast tam praeclarum nihilominus arte Galenum
Momenti spacio sustulit hora brevis.

Janus Cornarius.

Jano Cornario, qui eam altitudinem excellentiamque doctrinae et cognitionis liberalis extruxit animo, ut si quae aliae in eo fuerint bonorum accessiones, eae in hoc scientiae virtutumque splendore non secus, atque in solis jubare stellae, delitescant, Cygnaea, quae Misnensium urbs est, patria fuit[3]), ubi seculo decimo quinto ab exhibito Messia primum hausit aërem, primumque studiorum fecit tyrocinium sat negligenter, quo ad victum, educatus. Verum a patre adolescens admodum, et corpore non adeo firmo, in exteras scholas missus, a teneris eas combibit artes, quibus ad majora, si adolevisset, veniret paratior. Ideoque quod fortes solent milites, ab infimo ordine ad summum progressus, omnes suae aetatis doctrina et omni literarum genere superavit. Nam si linguas spectes Graecam atque Latinam, in iisdem ita excelluit, ut utramque adolescens viginti annos natus non doceret modo publice, sed et anno XXI Wittebergae Magister renunciatus et mox anno vicesimo tertio Licentiatus Medicinae[4]), apud Germanos nostros non mediocriter illustrarit et excitarit, id quod vel inprimis ex operibus Graecis in Latinam linguam summo studio atque industria conversis apparet. In majoribus autem et uberioribus artibus ita versatus est, ut earundem cognitionem non subtili

1) i. e. *Petri de Albano.*

2) Abrahami Judaei librum *de nativitatibus.*

3) Quae proxime sequuntur in margine inscripta, sicut alia in medicorum vitis addita, ex Adamo desumta esse, verborum concentus docet.

4) Ultima verba ex Adamo non bene h. l. in margine interposita sunt.

obscuritate, sed utilitate praecipue in Rempub. derivanda metiretur. Ideoque huc cogitationes suas non veluti ad parvulam Cynosuram, sed ad Helicen et clarissimos Septentriones dirigens Philosophiam ipsam et artem Medicam tum apud Livones, Rutenos et in principum Megalopyrgicorum ducatu et aula, tum vero in Academiis Rostochiana, Marpurgensi et Jenensi docuit publice, atque Northusii, Francofurti ad Moenum et denique in patria studium industriamque suam ad hominum valetudinem consilio et opera juvandam contulit. Quin[1]) ad exteras nationes transiit per Belgas videlicet ad Anglos et ab his per Gallias peregrinatus, Italiam petiturus, nisi in transitu Basileae in Graecos incidisset Medicos, Hippocratem, Galenum, Paulum Aeginetam[2]) et Dioscoridem in Aldina officina Venetiis excusos. Ex quo porro tempore rejectis medicis illis barbaris, quos novennium sequutus, Graecis illis se totum addixit, illorum medicinam variis in locis exercuit postmodum. Quum itaque iis praecipue artibus et studiis jam esset notissimus, Francofurto, ubi tum physicum agebat, a Philippo Landgravio anno MDXLII Calen. Julii Marpurgum ad Medicinam publice docendam evocatus in eam scholam tum temporis Grunbergam translatam VI Cal. Nov. venit, cumque nihil praestantius[3]) judicaret, quam optimum artis doctorem Hippocratem in lucem revocare, eundem in sua lingua, hoc est Graece, praelegere aggressus, artemque medicam postmodum exquisitis traditionibus persequutus est et Academiae clavum Rectoris dignitate Cal. Julii anno MDXLIII auctus tenuit[4]). Caeteroquin non minus libris, quam humanis corporibus medicas adhibuit manus, dum aut eosdem situ et tenebris sepultos eruit et e Graeco in Latinum sermonem traductos publicavit, aut mendis et erroribus infuscatos repurgavit et pristino nitori restituit. Atque[5]) ita quidem e Theologis veteribus *Basilium*, *Epiphanium*, *Chrysostomum* et alios, e Medicis Graecis *Hippocratem*, *Galenum*, *Aëtium* donavit Latio ac praeter illos Medicos et Philosophos quam plurimos fideli illustravit opera et studio indefesso. Sic *Marcelli* authoris antiqui *de variis medicamentis opus*, *Macri poëma de plantis* et *incerti cujusdam authoris* itidem *de plantis*, *animalium partibus ac terrae speciebus: Marbodeique de lapidibus carmina* emendavit et notis illustravit. In Latium praeterea sermonem traduxit *Paulum Aeginetam* adjectis *septem Dolaberrarum*[6]) *libris: XX de Agricultura libros Constantino Caesari inscriptos*, et *Adamantii Sophistae physiognomica: Parthenii librum de Amatoriis affectionibus*, cui subnexuit *Orationem in laudem peregrinationis*. Denique *Epigrammata Graecorum* non pauca atque *Dioscoridis de materia medica V lib. emblematibus additis*, et *unum de bestiis venenum ejaculantibus, alterum de lethalibus medicamentis*, quibus annexae *Synesii Cyrenaei expositiones*, Latine

1) Haec quoque usque ad *postmodum* ex Adami libro margini inscripta sunt.

2) *Aeginatem* scripsit Dil. — 3) Locus imaginis.

4) Quo anno Marpurgo decesserit, Dil. non tradit neque certo constat. Nam quod Pistorius a. MDXLVI eum Francofurtum abiisse narrat, cum Albo quidem academico consentire videtur, in quo ad annum MDXLVI haec leguntur: *Abeuntibus doctoribus Cornario et Studaeo professoribus princeps noluit alios surrogari*, sed ne hunc discessum perpetuum fuisse statuamus, ipsum Album academicum vetat, quo Cornarium a. MDXLIX doctoratus insignibus Volcuinum Vigelium aliosque ornavisse docemur. Itaque jure suo de illo anno dubitavit Strieder, ipsis thesibus a. MDXLIX editis usus; quod autem a Marpurgensi in Rostochiensem academiam eum transiisse tradit, egregie fallitur; nam Rostochii C. ab anno MDXXV usque ad a. MDXXVII professor fuerat. Cf. Krabbe, d. Univ. Rostock im 15. u. 16. Jahrh. I, p. 378 sqq. Inter Marpurgensem et Jenensem stationem Zwickaviensis intercedere videtur. In acad. Jenensi, eodem anno, quo obiit Cornarius, inaugurata, secundum inter medicinae professores obtinuit locum; in quam pervenerat a. MDLVII, quo orationem eodem anno editam habuit.

5) Sic Dil., ubi aut *dolabrarum* aut *dolabellarum* (quod in titulo libri exstat) scribendum erat.

6) In conficiendo librorum indice Dil. usus est Boissardo l. l. p. 165 sqq.

reddidit. Tandem cum idem in *Theodoreto* tentaret, Jenae morte anno Sal. MDLIIX Martii XVI, aetatis LIIX praereptus, quod coeperat, absolvere non potuit. Suo etiam marte confecit et edidit *Catechismum pro Ecclesia Francofurdiana ad Moenum; Consilium de articulis religionis;* dissertationem *de ciborum receptaculis; de conviviorum veterum Graecorum et hoc tempore Germanorum ritibus, moribus et sermonibus* librum: *de Amoris praestantia: de Platonis et Xenophontis dissensione* et eorundem *Symposia: Universae Medicinae epigraphen, enumerationem et brevem Isagogen: de peste* libros duos: *Orationes* quoque duas a se conscriptas, alteram quae inscribitur *Hippocrates seu Doctor verus, de rectis Medicinae studiis amplectendis,* alteram *Hippocratis libris* a se conversis et emendatis veluti auctuarii loco adjecit. In hunc *Janum* Euricius Cordus:

Te licet Arctous peregrinum contigit axis,
Sunt tamen hic animi pignora multa tui.
Scilicet egregii, doctissima scripta, libelli,
Quos versans magni spem mihi sumo boni.
Ut quae foeda patet caecis Medicina tenebris,
Efferat excultum, te poliente, caput.

J. Sambucus

Quot Graios Latia donasti veste, quot artem
Tuque salutarem partibus accumulas!
Nil metuis fucos: veterum monumenta repurgans
Eruis e tenebris, publica vota juvas.

et Joannes Bartholomaei

Si Jani spectas foecunda volumina, dices:
Janus et ingenio, Janus et arte valet.

Guilielmus Gratarolus.

Bergomo Cisalpinae Galliae natus oppido Medicus et Philosophus egregie doctus, physiognomon et speculator naturae solertissimus. Hunc anno MDLXI Octobris sexta die evocatum ad professionem Medicam, eamque sub initium Februarii anni subsequentis adeuntem Basilea transmiserat, ut Medicum et Professorem hac in urbe ageret. Excussis ergo thesibus nono Maji anno MDLXII pro loco in facultate medica disputavit publice. Verum quum loci Genium forsan et aërem ferre non posset, ultra biennium operam suam non collocavit Academiae, sed Basileam, cujus ille hospitio urbis inprimis matura aetate delectatus fuerat, remeans tandem animam illic expiravit anno MDLXIIX [1]) Maji die VI vel ut aliis placet XVI Aprilis, aetatis LII, monumentis eruditionis suae relictis non vulgaribus *Memoriae* videlicet *et valetudinis servandae tuendaeque et de peste libris* accuratissime pulchreque scriptis, item *de praedictione morum naturarumque hominum facili ex inspectione corporis* libro: *Prognosticis naturalibus de temporum mutatione perpetua,* adjectis *undecim signis terrae motus: de thermis Rheticis: de notis Anti-Christi: de vini natura, artificio, usu et omni re potabili* [2]): [*de viribus, usu ac mixtione aquae ardentis.* Edidit et *Correctiones censuramque in librum, cui titulus Secreta Fallopii* et *in librum Alexii Pedemontani,*] ac inter caeteras quoque lucubrationes *Chemicorum*

1) Hoc scripserat Dfl.; postea tamen litera X expuncta est, ita ut temporis notatio iis ipsis, quae antecedunt, adversetur. Cujus mutationis auctor esse videtur Nigidius mortem Grataroli anno MDLXII assignans, sed eum errasse certissimum est. Cf. Strieder V, p. 60.

2) Imago Grataroli.

3) Quae uncis inclusimus in margine addita verborum juncturam turbant.

praecipuorum volumine atque aliorum praeterea clarorum Medicorum *Consiliis* publicatis, omnibus et singulis toti terrarum orbi cognitis. Memini de ipso legisse hoc distichon

Per te nunc Latium Cous lustravit Apollo
Teque colit Coum Teutonis ora suum.

et hoc Nicolai Reusneri

Cara valetudo Medico sua, cara suorum:
Ut recte valeas, te mea scripta docent.

De eodem et hos Nigidii versus habeto

Doctrinam Papae Gratarolus corde perosus
Germanos cupide visere coepit agros.
Nobilis hunc misit Cattis[1]) *Basilaea, sed anno*
Vix semel exacto rursus eo rediit:
Sive quod Hassiaco non posset vivere coelo,
Sive quod in votis urbs Basilea foret.
Haec vita functi gelido nunc clara sepulchro
Insignis claudit corpus et ossa viri.

Burchardus Mithobius.

Hamburgum[2]) Inferioris Saxoniae ad Albim urbem insignem patriam habuit, qui cum morum suavitate, affabilitate et literarum eruditione praeditus esset eximia, Mathematum inprimis et Medicinae studiosissimus ac Noutzeno conjunctissimus, cum quo et summum in ea consequutus ἀξίωμα, sub ipsa Academiae primordia inter reliquos ejusdem Proceres usum, scientiam, studium ad Mathematicas disciplinas explicandas contulit, Decanique inprimis munus anno MDXXXIII sustinuit. Postea ab his quidem studiis ad Medicam artem defluxit eo sane progressu, ut anno DXXXV hominis verus, justus atque honestus labor, quem isthac in re posuerat, solitis honoribus, praemiis atque splendore decoraretur. De caetero specimen etiam industriae in sectione publica, quam anno MDXXXVI[3]) obivit, isthic primus edidit luculentissimum. Postea archiater Landgravii factus Cassellis medicinam cum laude fecit aliquot annis. Mündam inde quod oppidum est Brunoniae ad confluentes Fuldae ac Werrhae, in aulam vocatus inibi vitam cum morte commutavit Augusti XVI die anno MDLXV relicto[4]) filio Hectore studiorum paternorum aemulo et apud Hannoveranos Mathematico et Medico praestantissimo. Edita est a Burchardo *Stereometria* ars certas dimensiones corporum ratione mathematica ac stereometrica virga cum dimensione aequatorioque desuper affabre confectis docens: et *Annuli Astronomici compositio*, libellusque Germanicus *de maximae virtutis fonte in Spigelberg*[5]). De studiis Mithobiorum H. Fabronius hoc adjecit Epigramma:

Ambo Mithobii celebrem docuere Mathesin,
Qua Cattum socio Chaucus amore colit.
His medicas adhibent felici munere curas,
Et geminant laudes clarus uterque suas.

Petrus autem Nigidius Mithobium hoc ornavit elogio:

Burcardus celebris doctor Mithobius olim
Gymnasii nostri splendida fama fuit.

---

1) Apud Nigidium exstat *nobis*.

2) Hamburgi natum dicunt Nigidius, Boissardus, Adamus al., quibus aliud testimonium ad Neostadium Calenbergense oppidum ejus originem referens praefertur a Striedero IX, p. 68.

3) Hoc factum esse m. Julio a. 1535 ex Albo acad. apparet; d. XI. m. Nov. ejusdem anni doctoratus insignia accepit M. — 4) Imago Mithobii.

5) Librorum index e Boissardi Icon. III, p. 176 desumtus esse videtur.

Post accersitus nitidam pervenit ad aulam,
Coepit ubi vitam degere deinde suam.
Hic medica multos a morbis arte levavit,
Quîs cum judicio pharmaca tuta dedit.
Hassiaco fuit acceptus quandoque leoni,
Ipsius quoties aula petisset opem.
Moribus hic placidis, cunctisque affabilis ultro,
Sincera studuit mente juvare bonos.
Nuzenum coluit, ceu junctum sanguine fratrem,
Illi Thesaeo foedere junctus erat.
Hi duo doctorum titulos meruere decoros,
Quos et ceperunt praemia pulchra simul.
Mundae expiravit, Fuldae qua flumina Werra
Immiscens gelidam spectat uterque plagam.
Hectora praeclaram sobolem post fata reliquit,
Insignem Medicum, dives Hanofra, tuum.

Joannes Rhodus.

Nastadio Cattimelibocius Doctoris Medici titulo anno MDXLV mensis Maji die XXIIX a Cornario tum temporis Facultatis Medicae Decurione decoratus eodemque anno Junii die XXIIX in Facultatem Medicam receptus multis annis Medicam artem in hac Academia docuit et anno demum MDLV[1]) Augusti decimo sexto domi suae ante aestuarium mortuus inventus est apoplexia, ut putabatur, extinctus, opibus satis multis, liberis autem nullis post se relictis. Reliqua Nigidius ille Senior in professorum Elencho his complectitur versibus

Hippocratis cultor Rhodus eximiique Galeni
Extitit, ast praxi prosperiore[2]) *fuit.*
A variis morbis aegrotos saepe levavit,
Dignus ob id multos posse videre dies.
Vita brevis sane est longissima, plena malorum,
Omnia, quae nemo dinumerare potest[3]).
Concidit hic autem subito, pronusque[4]) *dolores*
Praesensit nullos[5]) *mortis agone suae.*
Julius[6]) *ante obitum quaesitus, quae foret unquam*
Mors homini felix atque timenda minus,

---

1) Sic Dil. mendose pro *MDLXV.* Ab officio remotum a. MDLXIII dicit Pistorius, quae res in Albo academico non commemoratur, ubi eo anno Rhodum propter fornicationem pecunia mulctatum esse narratur. Idem quum a. 1565 mortuus esset, Albo haec inscripta sunt: *Julii XV. D. Nicolaus Asclepius coepit habere orationem funebrem in laudem dominorum Professorum defunctorum, qui praecipue claruerant, ac egregiam in Academia hac operam navaverant. Statim autem atque D. Joannis Rhodi Medici vivi adhuc inter mortuos* [sic], *honoris ergo, quod tum consilio ejus uteretur, mentionem fecit, calculi dolore coactus sermonem abrupit, praesagiens quasi, Parcas Rhodo spe citius vitam suam abrupturas esse. Die ergo dominica sequenti Julii vdl. XXII. coeptam orationem absolvit. Rhodus autem Augusti XVI. horam circiter novam domi suae ante Aestuarium suum superius in medio tabulato mortuus inventus est, opibus satis multis, liberis autem nullis post se relictis.* Multas de hoc viro famoso narratiunculas Melandri Jocoseria exhibent.

2) Dil. scr. *prosperiori.* — 3) Locus imaginis.

4) Dil. scripsit *pronus.*

5) Sic Nigidius ipse, Dil. manifesto lapsu *multos.*

6) I. e. mense Julio.

Elegit subitam incautus, finemque recepit
Non alium ex voto luce sequente suo.
Ergo monente Deo cunctas vigilemus in horas,
Ne nos incautos opprimat illa dies.
Momento quovis mors est certissima, verum
Non itidem certa est omnibus ipsa dies.

Justus Velsius.

Medicinae Doctor inclitus, Haganus patria, cui quum esset ingenium et studium acerrimum, quae alii in re medica et inprimis herbaria ne primoribus quidem labris attigerunt, ea is nullo negotio assequutus excelluit reliquis longe tantumque inter alios

Quantum lenta solent inter[1]) *viburna cupressi.*

Sed enim quum viri ingenium et doctrinam non aliunde possis perspicere rectius, quam e Nigidii carmine, quod ejusdem consecravit memoriae, id ipsum subjicere placuit mihi[2]):

Velsius huc veniens paucos tantummodo menses
In nostra coepit rite docere schola.
Cur vero rursus subito discesserit idem
Nescio, nec quorsum venerit ipse scio.
Eximius sane vir hic extitit atque Galeni
Sicut et Hippocratis noverat ille libros.
Legit Aristotelem monumentaque dia Platonis,
Excellens Medicus, vir polyhistor erat.
Quin etiam jussit Graecis conscripta libellis
Romano pariter more Latina loqui.
In Tabulam scripsit Thebani multa Cebetis
Magnifica[3]) *plenos utilitate libros*[4]).
Dignus ob egregias igitur, quas noverat, artes
Mathusalamaeos[5]) *aequiparare dies.*

Scripta enim viri habentur *Oratio utrum in Medico variarum artium et scientiarum cognitio requiratur: Hippocratis de somniis liber translatus:* item *Galeni, quae ex insomniis habetur affectionum dignotio:* et *Hippocratis Aphorismorum sententiae castigatioris enarratio*[6]).

---

1) In cod. est *in*. Versus est Virgilii Ecl. I, 26.

2) Nigidius annum mortis, quem addere solet, omittit, neque Pistorius quibus annis Marpurgum venerit, inde discesserit et obierit, indicat. Album acad. ad a. 1561 haec habet: *Sub finem mensis Augusti Francofurto Marpurgum cum venisset D. Justus Velsius Haganus Medicinae Doctor, ultro is suam operam ad rei medicae professionem obtulit, ac cito, cum spes facta esset honesti praemii, docere coepit. Verum non multo post honorarium munus ei datum, atque ut Illustrissimus Princeps Philippus per literas mandabat, dimissus.* Apud Striederum XVI p. 289 eum Marpurgo Argentoratum abiisse legimus; qui plura de eo reperiri dicit in Saligii Hist. d. Augsp. Conf. II, p. 1140 et in Frankf. Rel. Handl. II, p. 197 sqq. Nam hujus viri rationes maxime cum rebus istius temporibus ecclesiasticis cohaerent, quum propter Lutheranismi vel potius Anabaptismi suspicionem singularesque quasdam opiniones compluribus scriptis ad theologiam atque philosophiam pertinentibus declaratas et e patria, ubi Lovanii medicinam docuerat, et Colonia et Francofurto cedere cogeretur.

3) Sic Dil., *mirifica* Nigidius.

4) Locus imaginis.

5) Nigidius habet *Mathusalemaeos*.

6) Libros ad medicinam pertinentes solos affert Dil., ceteris, quibus non minorem famam ille adeptus est, omissis.

Philippus Dorstenius

Marpurgensis natus patre Medico et Philosopho ad studia appulit et ipse animum. Ideoque cum percepisset ea, quae isthaec aetas ferebat et illi inprimis necessaria sunt, qui, quae in natura retrusa sunt et abdita, nosse cupit, ad peregrinationes adjecit animum, idque eo consilio, ut quae didicisset artium et medicinae praecepta et instituta, eadem usu rerum confirmaret et experientia. Atque sic quidem, quum non minus industria, quam scientia auctus ex Italia rediisset, procerum Academicorum consensu doctrinae et virtutis insignia non sine virtute indeptus in medicorum[1]) numerum cooptatur oratione prius XXVII Maji anno MDLXXI[2]) de artis Medicae difficultate et praestantia habita. Sed enim quum operam patriae, a qua summa quaeque acceperat, reddere pararet, in ipso quasi aditu et limine morte praematura oppressus animam, quam in eadem hauserat, istic quoque posuit VI Martii anno MDLXXIV vix triennium professoris perfunctus munere. Nigidius hominis memoriam hisce versibus prosequutus est:

Dorstenius Medico natus patre, flore juventae
Paeonia[3]) *valde clarus in arte fuit.*
Coeperat et dudum praxi inclarescere passim,
Phoebea multis auxiliatus ope.
Invidit fortuna ferox, nam stamina vitae
Fatales juveni dissecuere Deae[4]).
Hunc socer in Medica Doctor clarissimus arte
Vulquinus[5]) *luxit, filiolusque puer.*
Luxit item conjux claro[6]) *viduata marito,*
Ceu turtur socio despoliata[7]) *mare.*
Vive Philippe diu, quantumvis mortuus idem,
Gramina dum tellus, dum vehat[8]) *astra Polus.*

et Justus Vultejus

Plinius ignitum propius contingere montem
Dum studet, in studii concidit arte sui.
Me quoque defuncti putentia membra secantem
Sustulit exhalans teter in ora vapor.
Ni servare tamen reliquos pia cura fuisset,
Servassem vitam forsitan ipse meam.
Vos mihi quo par est, funus curate decore,
Sum bene, nec terrae me levis urit amor.
Hic ago cum summo Medicorum Principe vitam,
Quo neque morbus adit nec venit ulla lues.
Heu quot funeribus funus cumulabere nostrum,
Funera si Medico mors properata nocet.

---

1) Cod. *medicarum.*
2) Apud Striederum exstat 1570; quod Dil. exhibet, in Albi acad. testimonio nititur.
3) Sic Nigidius. Cod. *Paeoniae.*
4) Locus imaginis.
5) Volquinus [sic Nigid.] Vigelius Dorstenii socer fuit.
6) Nigid. *charo.* — 7) Cod. *dispoliata.* — 8) Nigid. *vehet.*

Volquinus Vigelius

Wetterae natus, quum non minimam aetatis partem in literis humanioribus et Medica disciplina haurienda collocasset, non umbris et deliciis infecit postea animum, sed ab exteris non secus atque ab Aegyptiis Plato, quae utilitati servirent publicae, petenda putavit. Ideoque et Lovanii et Lutetiae Parisiorum traductum a Theoricis studiis animum ad eorum, quae in usu potissimum sunt Medico, investigationem contulit, idque ea sedulitate atque opera ut in patriam redux anno MDXLIX laurea Doctorali tanquam illustri gloriae, quae recte factorum comes esse consuevit, imagine a Cornario ornaretur [1]). Sed enim quandoquidem omnia benefacta se in luce collocari volunt, non in nomine conquiescere aut parietum umbris occuli pulchrum ratus, curam cogitationemque omnem in utilitatem publicam derivandam existimavit. Ideoque operam suam Academiae non [2]) solum in Mathematicis disciplinis, sed etiam arte Medica methodo et ordine tradendis addixit Decani honore die I Julii anno MDXLV [3]) et Rectoris dignitate anno DL ornatus et auctus. Sed post Cassellas, ut Medicinam in aula et urbe faceret isthuc concessit tandemque cum ibidem consenuisset, nemini non propter merita gratus April. XXV anno MDLXXIX vitae, quam ab ea acceperat, usuram naturae reddidit, quem hoc exornavit carmine Nigidius [4]).

Nicolaus Sascherus

Gruningensis Friso, quum Illustriss. Principibus ob doctrinae, qua pollebat, varietatem et copiam non fama populari, sed vera bonorum laude atque commendatione innotuisset et non unum innocentiae, prudentiae, virtutis atque doctrinae specimen dedisset, extra ordinem Medicinam docere jussus, id munus An. MDLXXIV aggressus est. Sed quum anno proxime sequenti D. Petrus Nigidius Senior aetatis munerisque vacationem impetrasset, hic quidem XX Julii illius vicibus susceptis universae naturae vim, varietatem et copiam, quoad id mentis humanae, quae rerum naturalium caussas quasi per caliginem cernit, permittit imbecillitas, explicare coepit publice solertissime. At vero quum an. MDLXXIX Julii I Decani praeesse coepisset muneri, paulo post fidenti et placidissimo animo in mediis vitae laboribus obdormivit non sine gravi Academiae luctu, quae ejusmodi amisisset intempestive prorsus virum, qui florentibus annis nec voluptates requirens nec laborem fugiens omnem curam atque industriam aut ad admirationem earum rerum, quae ab antiquis repertae sunt, aut novarum investigationem contulisset: ut propterea ejus opera multis profutura videretur. Sed enim mors, ut ait ille, *οὔτε τοὺς πονηροὺς ὑπερορᾷ, οὔτε τοὺς ἀγαθοὺς θαυμάζει, ἀλλ' ἴσον ἑαυτὸν παρέχει πᾶσι*: neque improbos despicit, neque bonos admiratur, sed sese omnibus aequalem praebet. Saschero in professione Physica successit Rodolphus Goclenius Senior. Viro parentavit Nigidius:

---

1) Cf. ea quae ad vitam Cornarii adnotavimus.

2) Locus imaginis.

3) Hoc ad philosophorum ordinem referendum esse, inde patet, quod Vigelius postea demum medicinae doctoris gradum adeptus est, et quod in ipsa thesium defendendarum promulgatione Striedero teste (XVI, p. 321) philosophiae professor appellatur. Ipse in Albo acad. ad a. 1550 mathematicarum disciplinarum professorem se dicit, quod munus eum a. 1544 accepisse Pistorius tradit, qui ejus ad aulam Cassellanam discessum in a. 1553 refert.

4) Carmen ipsum neque in textu neque in pagina ejus addendi causa agglutinata exstat. Cf. Nigidii elench. prof. p. 54 sq.

Frisius hic patria, doctrina praeditus omni
Moribus humanis perplacidisque fuit[1]).
Is docuit Physicen cunctis mirantibus atque
Alternis Medicae tradidit artis opem.
Mellea manabat prudenti ex ore loquela,
Facundo quaevis noverat ore loqui.
Tranquillam vixit casta cum conjuge vitam
Et sanctis studiis consona vita fuit.
Sensit honorifice de cunctis ille ministris,
Nos Evangelion qui docuere sacrum.
Hic varias gentes, multas hic viderat urbes,
Praecipue mores Anglica[2]) *terra tuos.*
Felsineam[3]) *doctus juvenis pervenit ad urbem,*
Doctoris titulum retulit unde domum.
Hinc redit in patriam multa cum laude, reverso
Collibuit juvenes recta docere rudes.
Tandem accersitus Marpurgum venit, Ephebis
Ex Physicis satagens tradere multa libris.
Gratus erat cunctis, longo dignissimus aevo,
Sed Parcae observant, quem statuere diem.
Ipsius hic corpus gelida tellure repostum,
Conspectu fruitur mens generosa Dei.

Georgius Marius
alias Mejerus

Herbipoli Orientalis Franciae urbe primaria natus anno MDXXXIII[4]), quum sese in Philosophiae et Medicae artis sinum a primis aetatis temporibus voluntate studioque contulisset, ab hoc fonte ad hominum famam profluxit ita, ut eruditione et rerum usu notissimus Norimberga accerseretur. Stipendium itaque pactus honestum operam suam XV. Nov. anno MDLXV Academiae in docenda arte Medica collocare coepit Rectoris etiam dignitate triennio post Cal. Jul. auctus. Hinc in aulam Wilhelmi Hessorum Principis vocatus Archiatrum egit[5]). Tandem coeli etiam hujus pertaesus ac soli Noribergam rediit, Medicinam, cujus erat peritissimus, isthuc facturus, idque[6]) non sine laude. Qua permotus Septemvir Palatinus Ludovicus Heidelbergam revovavit illum, ubi demum annum agens LXXIII die V Martii, tum senecta, quae et ipsa morbus, tum phthisi, diarrhoea accedente, confectus vita defungitur. De scriptis ejus exstant *paralipomena et marginalia hortulanica: in Judaeorum medicastrorum calumnias et homicidia, pro Christianis pia exhortatio:* cui adjuncta *Satura in calumnias Judaei Mosches:* ac *de*

1) Locus imaginis.

2) Dil. falso *Anglia* scripsit.

3) Quae sequuntur usque ad finem carminis in pagina agglutinata perscripta sunt.

4) Annum ex Adami libro, ut videtur, desumtum in margine addidit Dil.

5) Hoc ex Adamo in margine adscripsit Dil., unde commotus est, ut insequentibus quoque verbis proprie ad Marpurgum referendis postea insereret *etiam*. Rem ipsam negat Strieder VIII, p. 229.

6) Verba *idque* — *Tractatus Germanici* in pagina agglutinata Adamo auctore addita sunt, qui *revocatum* Heidelbergam dicit, quod antea Heidelbergae eum docuisse tradiderat. Pistorius Marium Marpurgo statim Heidelbergam transiisse et Wirceburgi mortuum esse narrat. Quanam de causa Marpurgo discesserit a. 1575 ea, quae a Striedero l. l. proferuntur, indicant. Diem supremum m. Martii octavum, non quintum fuisse, Willii (Nürnb. Gel. Lex. II, p. 557) vel typothetae error est.

terra sigillata et *fonte* item *salso in Offenau* non procul a Wimpina et aliis adsitis Tractatus Germanici. Caeterum etsi viri ipsius effigies nobis non est, tamen carmen, quod eidem subdidit Vultejus, propter elegantiam lectu dignissimum subjicere placuit:

Vidit ut hanc Marii speciem Latonius heros,
Ora quidem video, mens tamen, inquit, ubi est?
Corpus ut effingas pictor, penetralia mentis
Sperasti tanti posse referre viri?
Haec quoque, si posses repraesentare, figura
Persimilis nostrae tota futura fuit.
Vates et Medicus, Vatem Medicumque referret,
Lucis et authorem Rector amorque scholae.
Hic primas tenet ille[1]*), polo nos: et suus illi*
Est calor, ut nobis: lumen uterque sumus[2]*).*

Henricus Botterus

Natione Hollandus quum omnes animi atque ingenii vires in philosophicis et medicis studiis profudisset, eam mox famam consequutus est, ut in Medicina factitanda haberetur peritissimus. Ideoque eam non solum in Academia Marpurgensi docuit aliquandiu[3]), verum et postmodum, quum Coloniae studiorum et fortunarum sedem collocasset, Illustriss. Hassiae, uti et complures alii Principes hominis fama exciti ejusdem opera et consilio in tuenda valetudine usi sunt. De celebritate vero Henrici Botteri Herm. Fabronius:

Audiit Hassiaca celebris Botterus in urbe,
Qua vaga piscosis Fulda pererrat aquis.
Audiat ut semper Catto Botterus in orbe,
Dilichius statuit[4]*) icone virum.*

Victorinus Schonfeldius

Silesius Budissinus artium Magister et Mathematicarum rerum peritissimus non pulvere et radio scientiam terminavit, sed ulterius discendi avididate progressus ad Medicinam pertractandam se dedit. Quum itaque non mediocrem in eo studio operam curamque consumpsisset eruditionis ac doctrinae, anno Christ. MDLVI[5]) Maj ultimo conferente Mario consequutus est insignia. Biennio etiam post Academiae, quae magni interesse ad decus et laudem suam putavit semper, tam graves tamque praeclaras disciplinas doceri publice, stipendio et arte Mathematicas primum scientias et Medicam etiam postmodum artem explicavit gnaviter, Decani

---

1) Negligenter Dil. non distinxit post *ille*, sed post *tenet*.

2) Locus imaginis.

3) D. XXII. Oct. a. 1576 professoris munus Botterum suscepisse Album acad. docet. Quod factum esse a. 1562, Ayrmannus de peregr. Hass. prof. p. 14 non dicit; errat igitur Strieder I, p. 520. — Post *aliquandiu* exstat locus imaginis.

4) Dil. omisit *gnarus*, forsitan consulto.

5) Dil. in anni notatione errat nam Albo acad. teste, Schönfeldius Matheseos professor ultima Maji die a. *MDLXVI* a Mario medicinae Doctor pronunciatus est, postquam d. XIX Jan. ejusdem anni pro loco unoque (?) et in Artium et in Medica facultate obtinendo disputaverat. Hinc in ceteris quoque, quae proxime sequuntur, Dil. errasse patet, quamquam Pistorius a. 1557 Matheseos professionem Schönfeldio traditam esse refert. Ipse Rector a. 1575 nomini suo in Albo haec addidit: *Budissinus, Artium et Philosophiae Baccalaureus et Magister Wittenbergensis: Medicinae Doctor et ejusdem ac Matheseos professor ordinarius Marpurgi.*

munere quinquies et Rectoris provincia semel A. C. MDLXXII administrata. Imagini ipsius haec ascripsit Paganus anno MDLXIV

Aemula quid Phoebi facies tam nobile spirat
Sydereasque faces, Paeoniamque manum?
Munere Schonfeldus se Victorinus utroque
Jactitat et voto pollet utrinque pari.
Sive Polos spectes superisque micantia regnis
Sydera seu medicas intuearis opes [1])
Haec ubi concurrunt foelici sydere, foelix
Ingenii merito dixeris esse caput.

De [2]) eodem canit H. Fabronius in Elegia de Academia Marpurgensi:

Virtuti comes est etiam divina Mathesis,
Quae docet aetherei sidera celsa Poli.
Namque Polus sua jura tenet: Deus omnia curat
Et peragunt jussas terra salumque vices!
Semina quando boni spargantque metantque coloni,
Quando dies mater, quando noverca dies.
Quid canis Erigones faciat, quid aquosus Orion,
Quid lupus, aut Hyades, Eridanusque celer.
Aëre quid tristis designet stella Cometae,
Aut qua Sol radios abdit in [3]) *orbe suos.*
Clare vir Uraniae dudum spaciate per arces,
Schönfelde, haec etiam munia doctus obis.

Caeteroquin quum Brabeutae partes subiisset saepius et perquam multos et Baccalaureos et Magistros et artis Medicae Doctores creasset, fidelemque prorsus Academiae XXXV annorum curriculo navasset operam, tandem annorum et seculi hujus satur ex hac vita veluti e tenebris et carcere in lucem illam immensam excessit XIII Junii anno MDXCI in aede D. Elizabethae conditus.

Joannes Wolffius.

Anno [4]) MDXXXVII Augusti X die Joannes Wolfius in oppido Ducatus Bipontini quod Tabernas montanas, Bergzabern, vocant, natus patre illius oppidi praetore, quum utilitate publica metiretur omnia, sese a puerilibus disciplinis ad philosophica et medica studia contulit, et in erudito hoc pulvere ita versatus est, ut omnis scientiae numeros obtinere videretur. Ideoque vir summo ingenio et scientiae copia XVI Feb. anno MDLXXIIX in professorum numerum cooptatus in studiis medicis illustrandis et excitandis summe allaboravit, idque operam [5]) dedit praecipue, ut artem ipsam ad usum revocaret et exercitationem, quod eam non tam praecipiendi subtilitate, quam agendi dexteritate et solertia aestimandam duceret.

---

1) Imago Schönfeldi.

2) Haec verba cum Fabronii carmine in fine vitae Schönfeldi scripta sunt, sed signo addito posthac in hunc locum relata.

3) Fabronius in Vol. Cass. habet *ab*.

4) Haec verba usque ad *praetore* in margine addidit Dil., per errorem lapsus, ut apparet ex iis, quae contra Freherum sua hinc repetentem a Striedero XVII p. 278 monita sunt. Nam Marpurgensem non solum Pistorius eum appellat, sed ipse se dicit in Albo acad., neque verisimile est, jam illo anno eum natum esse.

5) Locus imaginis.

Quibus studiis id effecit, ut medicandi peritia vix ulli comparandus in aula Marpurgensi apud Ludovicum Principem summam gratiam et favorem colligeret, praesertim quum eruditioni singularis quaedam comitas et *εὐτραπελία*, a qua omnis fastus aut fastidiosus aliorum abesset contemptus, respondere intelligeretur. Nec minus post Ludovici Landgravii obitum Mauritio Principi gratus et acceptus authoritate, gloria et existimatione effloruit, si quisquam alius, inter sui ordinis homines. In Academia etiam honoribus perfunctus est amplissimis vel quartum Rector. Et primus quidem hominis Rectoratus incidit in annum Salutis MDXXCV, quo[1]) tempore Musae propter pestilentis contagii metum Helicone hoc suo relicto migrare cogebantur alio, Academia quidem Francobergam, Paedagogeum vero Wetteras, eodemque etiam fato anno XCVII tertium Rector Academiae gubernacula tenuit, sed tanto graviori, quanto malum ipsum serpebat latius. Nam tum quidem temporis nullus in Hassia locus a gravi et pestilenti aspiratione erat immunis, qui Academiam excipere potuisset et fovere. Ideoque grege ipso Academico disperso, quo quisque poterat professorum, ut vitae consuleret et saluti, diffugiebat. Anno postmodum DCII cum quarta vice Rectoris sustineret munus, Landgravius Ottho XV Julii in album Studiosorum relatus est. Vicesimo quoque septimo ejusdem in Juris consultorum auditorio, quod ad Lanum est, oratione primum, deinde in consistorii aula coena hospitali excepti sunt Philippus Julius Pomeraniae dux et Joachimus abbas Hersfeldensis. Tandem cum XXXIIX annos non Academiae solum, verum etiam Principibus ipsis et universae patriae operam commodasset, ipsis Kal. Juniis anno MDCXVI aequissimo animo oppetiit mortem, quia id vita acta perfecerat, ut satis superque vixisse videretur. In ejus effigiem Eglinus

Principibus gratus, Medicaque Professor in arte,
Joannes tali Wolphius ore fuit;
Providus ante alios, aevi maturus, opum vi
Splendidus, Hassiacae lux columenque scholae.

Paulus Cellarius

Cassellanus, Medicinae Candidatus e Tubingensi schola progressus, cum doctrina excultus putaretur satis, in Medicorum adsciscitur numerum et Junii XVII anni MDXXCV solitis ritibus a Joanne Wolffio Medico proclamatur[2]). Ex eo tempore Academiae primum et deinde etiam Nosodochiis quatuor, ut appellantur, in Hassia majoribus fidelem prorsus navavit operam, suarum rerum et muneris satagens vel inprimis, donec in morbum incidit diuturnum et gravem, cum quo acerbe satis conflictatus longe ante mori didicit, quam moreretur. Tandem corporis hujus compedibus solutus abiit ad plures XIV Jan.[3]) anno DCXXI[4]). De perennitate pietatis et artis Pauli Cellarii Hermannus Fabronius

Omnia praeteritis aetatibus acta senescunt,
Nec solet antiqui plebs memor esse sui.
Pars melior vitae, nomen pietatis et artis,
Artubus absumptis interiisse nequit.
Sic ubi discessit fragili Cellarius orbe,
Perpetuat meritum nomen in orbe suum[5]).

---

1) Cod. habet *quae.*
2) Professionem medicam ordinariam ipsi mandatam esse d. IX. Nov. 1583, Album acad. tradit.
3) Erravit Dil., nam Album acad. d. XI. Jan. mortuum, d. XIV. sepultum esse dicit.
4) Imago Cellarii.
5) Sic Dil., Fabronius ipse in vol. Cass. *virum.*

Hermannus Wolffius

Domestico Joannis fratris exemplo velut Milthiadis trophaeo Themistocles excitatus artem medicam tam operosam, quam fructuosam aliis non minus Basileae et in Italia, quam Marpurgi in patria Academia summa animi contentione persequutus est, quum omnes labores exantlavisset, quos isthoc in stadio decurrentes sustinere necesse est, die XI Martii anno MDXXCV Promotore Schönfeldio honoris supremi cepit insignia, et in abditis atque reconditis rerum naturalium caussis explicandis ad id munus ab Academia accitus operam deinceps posuit et studium solertissime, id quod vel inprimis e *Cornelii Valerii Physica Commentariis* ab eodem illustrata perspicere est[1]). Postmodum quum Schonfeldius excessisset e vivis, discipulus anno MDXCI in statione Medica excepit praeceptorem, simulque biennio post, anno videlicet XCIII susceptum Rectoratus munus explevit. At vero quum ipsius opera propter artis peritiam et rerum usum magni omnino fieret, anno DXCVI ab Illustriss. Hassiae Landgravio Mauritio Cassellas in aulam avocatus est, ut non solum valetudinis Principis[2]) curam gereret, verum etiam operis Architectonicis praeesset, quod arte isthac inprimis hominem delectari animadvertisset Princeps, ubi tandem quum mortem sibi propter vitae brevitatem, qua hominum circumscripta est aetas, imminere cerneret, satur aevi et gloriae a corpore ita disjunxit animum, ut quotidie emori disceret, eumque in modum anno MDCXX Christi innixus meritis e terrenae hujus vitae vinculis emigravit placidissime. Ejus effigiem in tetragrammatis suis ita ornavit Eglinus

Wolphius Hermannus Medica clarissimus arte
Mauritii factus Principis Hassiaci
Clinicus, ante quidem Physicus Medicusque professor
Marpurgi, hoc vultu suspiciendus erat.

Cui dein H. Fabronius hoc addidit anagramma[3]): USU FIRMO GALENUS: ex quo colligitur HERMANNUS GUOLFIUS

Nam te persimilem, Guolphi, novere Galeno
Landgravii et Cattae pulpita clara scholae.
Viribus herbarum, rigui medicamine succi,
Felicique fugas morbida damna manu.
Hinc usu firmo merito dicere Galenus
Atque tuum rectè nomen id omen habet.

Nicolaus Bruno.

Cum Hermannus Wolffius Principis accitu in aulam Cassellanam se contulisset, alterius quoque fratris Joannis Wolffii opera in aula Marpurgensi occupata, ne studia medica elanguefierent prorsus, hic anno MDXCVII ut medicam artem extra[4]) ordinem doceret, Principis cura et jussu Marpurgum evocatus est. Sed postmodum defuncto Müldnero anno MDXCIX inter professores ordinarios docere jussus Physicam, quae in natura delitescunt, non quotidianis solum commentationibus, verum etiam disputationibus accurate elaboratis, evolvit et explicavit non minus sedulo quam acute, triennioque etiam post in Philosophica facultate Decani munus

1) Physicen professus erat antequam ad medicinae cathedram transiit, Pistorio auctore inde ex a. 1590.
2) Locus imaginis.
3) Aliud Fabronii in Wolffium anagramma cum epigrammate exstat in volumine Cassellano.
4) Imago Brunonis.

sustinuit. Atque veterani instar militis de ordine in ordinem transiens inter Medicorum ordinariorum subsellia substitit demum et utilem prorsus Academiae XXII annos non sine juventutis studiosae fructu et commodo locavit operam Decani insuper tertia et summi in Academia Magistratus dignitate secunda vice auctus [1]). Si scripta spectes, *Icones stirpium atque plantarum tam inquilinarum, quam exoticarum secundae et tertiae partis D. Jacobi Theodori Tabernaemontani* suis commentariis illustravit et locupletavit. In hujus viri imaginem Eglinus:

Doctor et medica Nicolaus Bruno professor
Arte, Hippocratica non sine lege facit:
Discipulos methodum docuitque fideliter usum,
Quem praesens vivum viva tabella refert.

De bona sobrietate anagrammatismum in nomen Nicolai Brunonis H. Fabronius: BONUS VIR LACON: ex quo colligitur NICOLAUS BRUNO.

Lacon nulla coquis dare condimenta solebat,
Praeter acetoso cumque liquore salem.
Quod, mi Bruno, bono medico atque viroio bonoio [2])
Convenit, en nomen continet omne tuum.
Non vaga luxuries, quae corpora plurima sternit,
Sed cata sobrietas, quae bene corpus alit.

Henricus Ellenberger

Catto-Homburgensis patre et ipso Medico natus Echardo [3]) Ellenbergero, humaniores literas, quarum fundamenta in patriis scholis posuerat egregie, Marpurgi et dein in Italia Patavii insigni Hassiae Principis Mauritii munificentia adjutus, quod puer amisisset praemature patrem, medica arte vel inprimis locupletavit, ita ut non solum paternam memoriam revocare et augere posset, verum etiam peritissimi cujusque judicio propter exercitationem studiumque acerrimum inter suae aetatis homines facile teneret primas. Ideoque non solum Patavii Consiliarii nationis Germanicae Medicorum sustinuit munus, quod ipsum per se egregium est et doctissimorum hominum familiaritate implicat ac amicitia, qui eo funguntur, verum etiam ex Italia redux Principis ipsius jussu ac voluntate lauro Apollinea manibus Joannis Wolffii XXIX Aprilis anno MDCI coronatur et in Medicorum numerum asscribitur. Sed cum postea elapso sexennio conditionis pertaesus dimissionem efflagitaret a Principe [4]), ab eodem aliquandiu docendi munere abstinere jubetur. Dimissus tamen postremo Fridebergam Wetteraviorum se contulit et inde a Reverendissimo Magdeburgensium praesule ad Archiatri munus evocatus Halam abiit Saxonum, ubi tandem vitae extremum edidit spiritum, homo doctrina pereruditus multa, de quo Eglinus

---

1) Hac in re errat Dil.; nam ipse in Rectorum Catalogo semel tantum Nicolaum Braun exhibet ad a. 1610, neque in Albo acad. saepius hoc munus Brunoni assignatur. Quod Dil. XXII annos in medicorum ordinariorum numero eum fuisse indicat, inde haec non post a. 1622 scripta esse apparet.

2) Sic scr. Dil., quem verba, quae reddere voluit, legere non potuisse patet. An scriptum erat *viro sobrioso*, quod verbum apud Cyprianum exstat? Syllabam primam contra usum correptam huic poetae condonabimus. In vol. Cass. Fabronii verba haec sunt: *Quod, mi Bruno, bono, modico atque subinde labori | Assueto recte convenit, ecce, viro.* Tertium distichon ibi non exstat.

3) Locus imaginis.

4) Quas causas muneris deponendi ipse attulerit, in Striederi libro legimus III, p. 329 sq., qui ipso auctore usus est.

Ellenbergerus medicorum gloria princeps,
Promissa barba notus et effigie,
Hassiacum docuit magna cum laude Liceum,
Nunc in Saxonicis eminet ille locis.

Joannes Hartmanni

Quum literas primum Ambergae in patria Michaëlis Sonleutneri inprimis instituendae juventutis apprime gnari, eaque praecipue opera non usquequaque inglorii et ignobilis viri ductu attigisset, ea quae in media philosophia retrusa et abdita magis sunt Jenae primum et Lipsiae, post Wittebergae et Marpurgi, quo ipsum Witteberga Wilhelmus Dilichius, quem humanioribus biennium imbuerat disciplinis, perduxerat[1]), indefesso plane studio et labore prosequutus est et didicit. Ideoque cum eam, quam excitarat apud omnes ingenii expectationem sustinuisset egregie, lauream, qua Philosophica haec studia decorari consueverunt, anno MDXCI consequutus non tantum meruit Principis Mauritii studiis Astrologicis praefici, sed insuper acerrimo sapientissimi Principis Wilhelmi judicio dignus habitus fuit prae ceteris, qui in Victorini Schonfeldii locum suffectus reconditas sane et ab imperitorum intelligentia sensuque longissime disjunctas, Mathematicas disciplinas traderet publice, id quod etiam studio acerrimo et labore atque industria summa praestitit fidelissime[2]). Nam et Marpurgi et Cassellis in Mauritiano collegio, isthuc aliquandiu a principe circa annum MDXCIIX evocatus istiusmodi artes non coarctavit modo et refersit praeceptis, quod eum facere necesse est, qui *περισσολογία* evitata omni cujusque disciplinae partes ita disponere cupiat et coagmentare, ut optima et facillima ratione comprehendi possint, sed etiam ita dilatavit et explicavit easdem porro, ut obscuritatem detergeret omnem, simulque et brevitate et perspicuitate discentium consuleret studiis. Caeteroquin quum utilitate publica metiretur omnia, ad Medicinam quoque appulit animum, et Chymiam mature, ut eo inservire posset pluribus, curriculumque hoc istiusmodi transmisit[3]) cursu, ut superatis laboribus omnibus et difficultatibus uberes quoque et diuturnos vigiliarum fructus demeteret tandem. Nam anno MDCVI amplissimis Doctoris Medici honoribus decoratus et tertio post anno in Medicorum ordinem transcriptus Chymiatrian vix nomine tenus ante hac notam isthic locorum magno ex omnibus nationibus facto studiosorum accursu, novo exemplo docere coepit primus, ut tanto major etiam apud posteros viri futura sit gloria, quanto Oeconomia Medica festiviori et elegantiori medicamentorum cultu ab ipso et discipulis ejus instructa est, apparata et locupletata magis. Caeterum quum non minus propter egregiam, qua non solum in gravioribus illis disciplinis Mathematica, Medica et Chymica, sed etiam in humanioribus literis, inprimis vero oratione soluta et ligata excelluit maxime, doctrinam, quam commodos mores et facilitatem atque comitatem, tum bonis omnibus, tum vero praecipue Principi ipsi esset commendatissimus, ab eodem in Hermanni Wolffii non ita pridem vita defuncti locum ascitus et archiatri in aula Cassellana partes suscipere et sustinere jussus est. In Academia vero publice et privatim XXIIX annos docuit tertium Rectoris officio defunctus. Praeter *Philosophum* seu *naturae consultum Medicum*, inaugurali oratione initio suae professionis Chymiatricae publice propositum, et *Disputationes Medicochymicas* publice habitas,

1) Verba *quo ipsum — perduxerat* in margine addita sunt.
2) Professoris matheseos munus adiit d. XI April. a. 1592.
3) Imago Hartmanni.

easque secunda editione auctiores redditas, aliorum scriptorum edidit nihil[1]). Licentiosum enim hujus seculi scribendi cacoethes (quo sese quamplurimi saltem aliorum et verbotenus tum scriptis[2]), vel clanculum ablatis, aut perverse immutatis laboribus, prostituunt) tantum abest, ut vel approbare et imitari voluerit, ut potius, ne idem factitare videretur, proprios labores hactenus suppresserit *Systema Chymiatricum*[3]) absoluta methodo conscriptum verae Medicinae suo communicaturus tempore. De vocatione *Joannis Hartmanni* epigramma scripsit H. Fabronius:

Leucoris ad Hessos Hartmannum misit ab Albi
Ut fieret Catti pars genuina soli.
Inde Mathematica Wilhelmus stare cathedra
Jussit, ubi streperis Lanus oberrat aquis.
Mauritii Medicas adjunxit cura palaestras
Comiter in prisca Cattidos arce ducum.
Omnia dante Deo. Si mixta pericula planis,
Sic nitet ingenii sparta probanda viri.

Henricus Petrejus

Smalcaldianus.

Hic quum acri inprimis esset ingenio, Principis ipsius impensis ad studia incubuit. Ideoque cum ocio et facultate discendi majore et maturiore, atque alius quisquam frueretur et labore etiam atque industria ad eruditionis culmen eniteretur superiore ex Anglia, Gallia, Italia, Belgio secunda vice redux eam doctrinam consequutus est, ut nullius rei, quae quidem vel ad linguas Latinam, Graecam, Italicam, Anglicam, Gallicam, Belgicam spectaret, vel etiam in artibus ipsis medicis et philosophicis inesset, iis, qui de ejusmodi studiorum genere existimare possent, ignarus et rudis videretur. Atque sic quidem per rerum copiam et scientiae varietatem dignissimus habitus est, qui institutis et praeceptis ad medicam artem attinentibus erudiret etiam alios. Anno igitur MDCX Jan. III Medicorum ascriptus classi Anatomicis, Botanicis et Chirurgicis studiis formandis praeesse jussus docendi munus ab oratione panegyrica de *Anatomiae praestantia* et laudibus, publice postmodum edita ac Illustriss. Principi Guilielmo V Hassiae Landgravio et Academiae Marpurgensis Rectori tum magnificentissimo inscripta, auspicatus est. Anno deinde proximo Hartmanni, a quo propter ingenii dexteritatem ejusdem disciplina usus adamabatur omnino plurimum, filia ducta, a Brunone Doctoris titulo et honore insignitur, quem ita deinceps sustinuit, ut nihil omnino faceret reliqui, quod ad studia isthaec Medica propaganda et illustranda quoquo modo facere videretur, eaque in statione perrexit usque ad annum MDCXX omnino strenue, quo demum Maji die XIX fatis ita ferentibus melancholia, qua conflictabatur subinde saepius, correptus e domus fenestra prosiliit et infelici casu crure fracto, cum malum Medicinam ipsam superaret, Augusti die XI[4]) non sine omnium luctu

---

1) Plurium tamen tituli exhibentur a Striedero V, p. 285 sqq. Omnia in unum volumen congesta edidit Johrenius Francofurti ad M. a. 1684 et 1690.

2) Cod. *tum scriptis,* miro errore, si quidem Dil. sua manu hunc librum exaravit, pro *transcriptis.*

3) In cod. est *Chymitriacum.* — *Praxin chymiatricam* post ejus mortem, quam obiit Cassellis d. VII m. Dec. 1631, ediderunt Joh. Michaelis et Georgius Everh. Hartmann filius Lips. 1633, aliis locis postea saepe repetitam.

4) Pistorius habet d. XII, cui accedit Albi acad. testimonium.

et desiderio periit, quum annum primum aetatis ageret XXX, vir si eruditionem[1]) spectes longiori vita et meliori fortuna dignissimus, sed quemadmodum canit ille

Optima quaeque rapit duri clementia[2]) *fati.*

Unde etiam Eglinus haec ipsius asscripsit imagini

Doctrina, ingenio, praestantis et arte medendi
Petraei expressam conspicis effigiem?
Heu nimium vitae brevis: in florente juventa
Occidit, Hassiacae non sine clade scholae.

Edidit praeter alia *Philologica et Poetica, Nosologiam* integram duobus tomis et appendice eleganti methodo CX *disputationibus* comprehensam: quin et *Institutiones chirurgicas,* jussu Principis lingua vernacula ad captum operantium affabre constructas et alia istius generis plura editurus, si supervixisset amplius, nec quos magno studio congesserat labores, ab aliis furtiva manu sub ipsum jam morientis articulum subtracti fuissent.

Joannes Moltherus
Junior

Medicinae Doctor et Professor, natus Grunbergae Hessorum anno aerae Christianae MDXCI die XXIIX Martii sub horam secundam matutinam patre Joanne Molthero tum temporis ibidem Ecclesiaste et postea in Marpurgensi Academia Professore Theologo Hebraeo, viro doctrina et pietate ornatissimo, qui totam bene vivendi vim in Christi cognitione atque rerum caducarum contemptione et despicientia ponebat. Atque hic quidem quum, quod optimi solent patres, eo curam cogitationemque dirigendam existimaret, ut liberos non tam fortunae, quam animi bonis locupletes cerneret, etiam hunc filium suum, inter quatuor superstites natu tertium, singulari diligentia Philosophiae primum et deinde Medicinae emancipavit: in quibus artibus ita versatus est, ut illarum pene infinitam vim et materiam scientia et cognitione complexus, anno MDCIIX die VII Januarii a celeberrimo Philosophiae Antecessore Rodolpho Goclenio Seniore, cui viri docti per universam Germaniam quicquid fere habent eruditionis tanquam praeceptori debent, Philosophiae et anno postmodum DCXIII die IX Febr. a Joanne Hartmanni Chymiatriae Professore clarissimo Medicinae Doctor, non sine eruditionis et industriae testimonio, in Academia Marpurgensi publice renunciaretur. Caeterum cum ingenio esset ad Mathematicas artes non minus apto nato, quam in Medicinam proclivi, illarumque notitiam non perfunctoriam aut vulgarem multo sibi oleo et opera comparasset, utrumque studiorum genus pari contentione sibi videbatur ursurus, et apprime in iis, quae ad mathematum illustrationem facerent allaboraturus: imperavit tamen animo suo, ut suavissimis et pellacissimis Mathematum studiis sepositis, Medicinae docendae factitandaeque magis vacaret. Edidit interim e nonnullis quae conscripsit opusculis Mathematicis *tractatum de Duplicatione cubi.* Postea quum clarissimi Medicinae professores Henricus Petraeus et Paulus Cellarius ad plures abiissent, Anno MDCXXI in eorundem stationes surrogatus, tum curam inspectionemve medicam majorum in Hassia Nosocomiorum, tum munus in Academia ordinarie profitendi Medicinam suscepit. Anno insequenti vigesimo secundo Decurionatus in facultate medica ad ipsum est devolutus: eodemque anno

---

1) Imago Petreji.

2) Sic cod. pro *inclementia.* Versus compositus est e Virg. Georg. III, 66—68: *Optima quaeque dies miseris mortalibus aevi Prima fugit: subeunt morbi tristisque senectus Et labor, et durae rapit inclementia mortis.*

fidem matrimonii dedit lectissimae virgini, duorum celeberrimorum in aula Cassellana dum viverent Archiatrorum, Mauritii Taureri et Hermanni Wolffii, illius quidem e filio Cornelio, Medico apud Hersfeldianos clarissimo, hujus autem e filia nepti. Ipsemet suae asscripsit effigiei

Ista mihi est facies: studium Physica: ars Medicina:
Otia Pierides: Dia Mathesis amor.
Relligio sacra sancta Trias, spes unica coelum,
Per tua quod capiam vulnera Gnate Dei.

De quo Epigrammate *Joanni Molthero* gratulatur H. Fabronius:

Quod Physica studium, Medicina scientia, Musae
Otia Moltheri, dia Mathesis amor,
Relligio Deus unus et idem trinus in uno,[1])
Unica coelestis spes generosa domus:
Sancta per aeterni sanatio vulnera Christi:
Non majora tibi munera mundus habet.[2])

1) Imago Moltheri.
2) Insequuntur in cod. septem fere paginae vacuae, tum vitae philosophorum incipiunt.

PHILOSOPHIAE PROFESSORES.

Hermannus Buschius[1]).

Virum hunc nobili genere natum et in Poeseos et Oratoriae studiis liberalissimis doctissimisque egregie versatum extulit Westphalia, probitas, candor, humanitas, modestia et eruditio, si quasi in altera librae lance ponantur, clariorem longe reddiderunt et ampliorem[2]). Nam ut Epicharmus Com. inquit, *ὃς ἂν εὖ γεγονὼς ἢ τῇ φύσει πρὸς τ' ἀγαθὰ, κἂν αἰθίοψ ἡ μήτηρ, ἐστὶν εὐγενὴς*[3]), quisquis suopte ingenio proclivis ad bona fuerit, nobilis est, etiamsi e matre Aethiope natus sit. At hic non in veteribus ceris, sed in artium varietate et copia, animi robore ac magnitudine, omnique adeo virtutum genere nobilitatis ipsius decus positum esse judicans, id omni studio et animi contentione consectatus est. Ideoque si quis alius, hic certe nobilis

famam nunc terminat astris[4]).

Nigidius viri laudes hisce versibus complexus est:

Buschius egregie doctus, polyhistor et idem
Orator, Vates inclitus, ore potens
In nostro docuit, dum viveret ipse, Lyceo,
Jugiter authores explicuitque bonos.
Conscripsit versus Musis et Apolline dignos
Ingenio praestans, arte politus homo.
Historias quasvis tum Graecas tumque Latinas,
Ceu digitos certo noverat ille suos.
Haec res mira fuit, generoso sanguine cretum
Artibus in variis eminuisse virum:
Ardenti semper studio coluisse tot annos
Et fontes sacros, Castalidesque Deas.
Praecipue vero periniquo tempore natum,
Difficili seclo, temporibusque malis.
Tandem jucundo patriae pellectus amore
Incidit in motus Westphala terra tuos.

---

1) De Hermanno Buschio praeter Striederum ejusque auctores cf. maxime *Erhard* Gesch. des Wiederaufblühens wissensch. Bildung. III, p. 61—108. *Cornelius*, die Münsterischen Humanisten. Münster. 1851. p. 17 sqq. Albo academico Joannes Ferrarius primus Academiae Rector a. 1527 sexto loco inscripsit: *Hermannus Buschius Pasiphilus Poeta laureatus rectiorum literarum Professor.*

2) Scripserat Dil. *et ampliorem reddiderunt*, quem verborum ordinem mutandum esse numeris supra scriptis indicavit. Sequitur locus imaginis.

3) Sic verba Epicharmi e Stobaei Floril. 86, 6 desumta Dil. exhibet; in quibus e Grotii conjectura legendum esse *κἂν αἰθίοψ ᾖ, μῆτερ*, metrum docet.

4) Verg. Aen. I, 287.

Et quia Münsteram sibi sponte elegerat urbem,
Posset ubi vitam degere[1]) *deinde suam,*
Rex Sartor (ride) Knipperquedolingius audax
Cum sociis vatem mox pepulere loco.
Hi tum Westphaliam turbabant dogmate falso
Omnes humano Daemones ore vafri.
Sic capit hunc magnum Dulmania parva poëtam
Condendo clari corpus et ossa viri.

Methodum Donati illustravit Buschius[2]) et *Decimationes Plautinas: Artem memorativam: Vallum humanitatis: Epigrammatum libros tres* et *in Silium Italicum annotationes* edidit. Extant praeterea versibus heroicis *Hypantīcon* de solemni antistitis Georgii Palatini ad Rhenum in Spiram introitu, ac *de singulari authoritate Veteris ac Novi Instrumenti Sacrorum et Ecclesiasticorum*[3]) *farrago.* Caeteroquin *ἀξιομνημόνευτον* est illud Caspari Rodolphi de Hermanno Buschio ejusque successore[4]) Glandorpio Monasteriensi judicium, nullos Academiam Marpurgensem eloquentiores viros duobus Westphalis Buschio et Glandorpio audivisse. Expiravit autem *Buschius* Dulmaniae tempore obsidionis Monasteriensis, annus cum esset Christi MDXXXIII[5]).

M. Petrus Plateanus

Puer e Brabantia, unde oriundus erat, digressus tectis nostris successit hospes, ut in hoc veluti literarum emporio non sordido aliquo mercaturae genere, sed liberalissimis optimarum artium studiis negociaretur, cujus memoriam amplissimo hoc monumento consecravit Nigidius:

Rhetoricen docuit Petrus Plateanus eratque
Lanicolae clarum lumen honorque scholae.
Hunc puerum nobis transmisit Belgica tellus
Praestantem ingenio, religione[6]) *pium.*
Moribus hic aptus nostris ac suavis amicus,
Et facilis nobis gaudia saepe tulit[7]).
Instar apis frugi flores sectantis odores,
Auctores solitus pervolitare bonos.
Hic[8]) *tandem a nobis clara cum conjuge cessit,*
Et sibi prospexit de meliore loco.
Nec tantum studuit Romano dicere more,
Nosse etiam curae quaeque metalla fuit.
Exponens tandem divina oracula Christi
Ascaniae longo[9]) *tempore pavit oves.*
Donec anhelantem rapuit mors saeva ministrum,
Et requiem membris terra benigna dedit.

---

1) *degere* bis in cod.

2) Librorum titulos haud paucis omissis e Simleri epitome bibliothecae C. Gesneri depromsit Dil. *Artem memorativam* non Buschii, sed Vibiceti esse, Jac. Burckhardus demonstravit in vita Buschii, quam editioni *Valli humanitatis* praemisit.

3) *testimoniorum* om. Dil.

4) Cod. *succensore.*

5) Hunc annum posuit Dil. Nigidium secutus; auctore Hamelmanno, luculentissimo vitae Buschii enarratore, mortuus est a. 1534; Pistorius cum Adamo a. 1535 exhibet.

6) Nigid. ipse *relligione.*

7) Locus imaginis.

8) Sic Dil., Nigid. *hinc.* 9) Sic Nigid., Dil. *longe.*

Tandem enim vitae Academicae pertaesus oratoris munere, quo aliquot annos functus fuerat[1]), sese abdicavit, ut tanto majori opera in Theologica incumbèret studia, quumque Deo inprimis ejusque Ecclesiae inservire cuperet et vero nunciaretur ab Ascherslebiensibus Ecclesiae desiderari ministrum, operam suam iisdem addixit, eaque in statione usque ad annum MDLI strenue animo excubans[2]) ex hac vita in beatorum sedem migravit XXIX Januarii.

Helius Eobanus
Hessus[3])

Tragocomo, quod pagus inter Francobergam oppidum et Haynense Nosocomium exiguus, cui vernacula lingua nomen Bockenborff, parentibus obscuris oriundus nascitur anno Christ. aerae MCCCCXXCIIX sexta Januarii die Dominica, unde et Helii assumpsit praenomen. Atque hic quidem magna vi et animi et corporis praeditus Francobergae elementa ipsa artium comprehendit. Hinc Erfurdiam, quae tum temporis Academiis praestabat caeteris, ubi Ficini et aliorum obsequutus consilio et voluntati relicto Medicinae studio usque ad annum fere MDXXII[4]) juri Civili navavit operam[5]). At vero cum animadverteret id studium genii sui non esse et ingenii, eo neglecto in reliquarum artium disciplinis et humanitate ita versatus est, ut impedimenta omnia fortunae diligentia superans et industria, praestantissimorum quorumque virorum studia et insignia virtutis assequutus sit et tam intra parietes, quam publice in Academiis et postmodum Noribergae, quo liberali stipendio evocatus a Senatu concesserat, eam docendo gloriam aluerit, quam acquisiverunt omnino paucissimi, adeo quidem, ut suavitate quadam incredibili perfunderet animos, non perfringeret, certatim ad eundem audiendum accurrerint omnes et mille quingenti auditores quandoque operam dederint homini Erfurdiae. Amabant equidem multi, etiam exterarum nationum viri doctissimi ingenium Beati Renani, exosculabantur indolem Philippi Melanthonis, suspiciebant Capnionis majestatem, capiebantur Hutteni deliciis: sed ecce repente emersit Hessus, qui, quae antea in singulis vel amabant vel mirabantur, unus exhibuit omnia, Germaniae nostrae vel praecipuum decus. At is variis regionibus externis perlustratis ludi Severiani primum Rector et in Erfurdiana Academia professor[6]), quum populus urbis in clerum saeviret nimium, et ipsi cum tumultuosa plebe non usque quaque conveniret, anno MDXXV Noribergam per Philippum Melanthonem, ut schola in urbe reparata civitatis

---

1) Ab a. 1532 (Pistorio auctore) aut 1533, quo quidem anno Albo acad. inscriptus est, ad a. 1535, a quo tempore usque ad a. 1546 Zwickaviense gymnasium rexit.

2) Cod. *exubans.*

3) De Eobano Hesso cf. quos laudat *Strieder* III, p. 370, qui accurate de ejus vita et scriptis egit, inprimis Joachimi *Camerarii* narratio de Helio Eobano Hesso. Norimb. 1553, nuper denuo edita a Jo. Theoph. *Kreyssig.* Misen. 1843, qua Dilichius uti potuit, ex recentioribus *Lossius* Helius Eoban Hesse und seine Zeitgenossen. Gotha. 1797. *Rommel* et *Erhard* in Allgem. Encyklop d. Wissensch. u. Künste. S. II. Vol. VII. (1830) p. 206 sqq. *Kampschulte,* die Univers. Erfurt in ihrem Verhältnisse zu dem Humanismus und der Reformation. I. II. Trier. 1858. 60. passim. *Herts,* Helius Eoban Hesse. Ein Lehrer- u. Dichterleben aus der Reformationszeit. Berl. 1860.

4) Imago Eobani, e Boissardi Iconibus, ut videtur, ducta, cujus archetypum Dürero tribuitur.

5) Haec non omnino cum ceteris testimoniis concinunt, quae neque continuo Eobanum Erfurdiae degisse, neque medicina relicta ad juris studium se contulisse, sed contra illo fere anno demum medicinae operam dedisse docent.

6) In oratione de studiorum instauratione in schola Erphurdiensi m. Sept. a. 1519 habita jam tertio anno se illic stipendium facere ipse dicit.

erudiret juventutem, evocari se passus est. Retinere potuissent Erfurdenses abeuntem exiguo stipendio, qui postea magno et quidem ejusmodi, quod ipsimet statuere luberet, revocandus erat. Ficinus interea et Megabacchus cum Eobano egerant, ut Marpurgum se conferret publicae lectioni praefuturus stipendio annuo CL aureorum, sed cum differretur Principis responsum ac putaret Eobanus poenituisse Principem vocationis, mense Majo anno MDXXXIII conditionem Noricam rursus commutavit Erfurdiana. Ideoque licet postea etiam Principes, alter Wittebergam, alter Marpurgum eum deducere satagerent, tamen quia jam praevenerant Erfurdienses, tum quidem temporis frustra id fuit. Verum enim vero licet tam apud Noricos, quam Erfurdienses luculenta et commoda satis usus conditione, tamen ut ille Homericus *τὸν καπνὸν πατρίδος γαίας* videre exoptavit saepius. Itaque quum anno MDXXXVI Philippo Hessorum Principi e Suaevia reduci de hostibus illic oppressis et profligatis gratulatus esset, ejusdem per Ferrarium accitu in patriam, quod optaverat ante saepius, se recipit jam fere senex, unde puer exierat[1]). Caeteroquin Marpurgi in Poësi et historiis enucleandis operam posuit non minus dicendi ubertate et copia, quam rerum ipsarum, de quibus disserebat, varietate et elegantia, nemini non gratus et acceptus, ut propterea eundem viri extra omnem ingenii aleam positi et judicii omnino acerrimi poetarum isto saeculo principem et regem appellare veriti non sint. Et certe qui ingenii monumenta summo labore et studio elaborata legerit, summa quaeque eidem tribuenda nullus dubitabit. Insidet enim iisdem venustatis quidam, non fuco illitus, sed sanguine quasi diffusus color; orationisque genus ipsum plenum est, teres et non sine nervis ac viribus. Eminet autem praecipue inter ejusdem opera instar gemmae *Psalterium carmine elegiaco redditum*, quod ejusmodi est, ut argumenti dignitate[2]) percellat animum acrius et propter numeros etiam cum suavitate in sensus affluat et illabatur dulcius. Carmine quoque elegiaco reddidit *Salomonis Ecclesiasten, Proverbia*[3]), et *Bucolicorum Idyllia* fecit *XVII: Heroides* quoque, *Epicedia illustrium et clarorum virorum: Sylvarum libros IX: Urbis Noribergae et ejus spectabilium descriptionem: Expeditionem Philippi Landgravii in Suevos.* Transtulit praeterea *Coluthi de raptu Helenae et judicio Paridis poemation: Locosque Homeri insigniores, Clypeum Achillis: Martis et Veneris adulterium: Equum Trojanum: Hortos Alcinoi: Thersitem: Ulyssem et Menelaum: Syrenes: Aten: Litam: Equum Achillis ejusdemque hastam* et alia. Edidit quinetiam *praecepta de conservanda bona valetudine: Elegiarum librum: Hymnum paschalem: Homeri Iliada* carmine reddidit Latino et *Theocriti Idyllia XXXVI: Virgilii* autem *Eclogas et Georgica* auxit *Commentariis* et illustravit: uti et *Tabulam Joannis Murmelii de ratione faciendorum versuum.* Justo quoque Studaeo *de nuptiis et Doctoratus insignium receptione Epithalamico*[4]), uti inscribit, gratulatus et *Erasmi Manes epicedio* prosequutus est. Extant denique ejusdem *de Gymnasii literatorii Erfurdensis laude* et *Epistolarum familiarium lib. XII, Hodoeporicum* aliaque adeo innumera. Tandem tabe consumptus mortem oppetiit anno aerae Christianae MDXL tertio Nonarum Octobris[5])

1) Ferrarius ipse, qui per alteram a. 1536 partem rectoratum tenuit, Albo academ. eum primum inscripsit his verbis: *Helius Eobanus Hessus Poeta et orator facile princeps, historicae lectioni praefectus,* quibus ab alia manu haec addita sunt: *Venit Marpurgum cum liberis et uxore Septemb. 1.*

2) Dil. mendose scripsit *dignitatem.*

3) *Ecclesiasten* in margine addidit Dil., recte, sed *Proverbia* a Simlero (epit. biblioth. C. Gesneri) vel Boissardo in errorem inductus Eobano tribuisse videtur, quum Ecclesiastes ab eo redditus una cum *Alvari Gomes* Proverbiis Salom. carmine redditis Basileae a. 1538 editus sit.

4) Cod. *Epithalimico.*

5) Hoc die i. e. quinto m. Oct. eum mortuum esse tradit Camerarius, quem plerique sequuntur; at Ferrarius Albo academico inscripsit, eum IIII Nonas Octob. diem suum obiisse et postero die in Coemeterium

non quidem satur annorum, utpote qui aetatis primum ageret LII annum, sed gloriae, quandoquidem suis se laudibus vita consolari poterat occidens. Sepultus autem est in coemeterio D. Elisabethae ad dextram valvarum templi australium orationem faciente Draconite SS. Theol. profess. et ecclesiaste. In Helium Eobanum Cordus ad pictorem Noribergensem Durerum:

Noluit a quovis Magnus pictore, sed illo
Pingi, qui tali primus in arte fuit.
Sic summum summus vatem, Durere magister,
Exprimis: at brevis hoc horula pendat[1]*) opus.*
Interea multum[2]*), cui cedunt omnia, tempus*
Eximet, ingenio quod facit ille suo.

Idem in eundem:

Vidit ut horrendum barba sacra Pieris Hessum,
Plus, ait, hoc Getici cultor es ore Dei.
Me tamen hirta nihil vultus truculentia terret:
Quae sequor ingenium respicioque tuum.

Ejusdem autem Epigramma tale est:

Quisquis es, Hessiaci, qui tot monumenta poetae
Sub sacra[3]*) quondam posteritate leges,*
Non dubium est, aliquot merceris millibus, istum,
Talia qui scripsit, posse videre virum:
Scireque qui vultus illi moresque fuerunt:
Et quo tam doctos protulit ore[4]*) modos.*
Ecce videt praesens, auditque nec aestimat aetas,
Quanto[5]*) sub afflato numine corda latent.*
Nullus honor sacro, nulla est reverentia vati:
Quisque faber precium cerdoque majus habet[6]*).*

Caeterum in obitum *Eobani* Stigelius[7]):

Helius e vivis Eobanus ut exiit Hessus,
Pierius siccis aruit amnis aquis.
Flumina fuderunt oculis stillantia Musae
Maestus et abjecta flevit Apollo lyra.
Sed Deus hinc illum rapuit, caeloque locavit,
Cantet ut in Christi carmina blanda sinu.
Fama manet terris, dum volvit sydera coelum,
Carmine victuro nobilis Hessus erit.

Monasterii D. Elisabethae elatum esse, atque pariter Octobris *quarto* die eum obiisse tradit Nigidius. Quod nonnulli, Camerarii narratione in errorem inducti, a. 1541 eum mortuum esse opinati sunt, falsum esse ex isto luculentissimo testimonio patet.

1) Sic Dil.; Cordus scripsit *perdet*, non *pendet*, quod exstat apud Reusnerum Icon. (Argent. 1587.)

2) Cordus *nullum*.

3) Cordus *sera*.

4) Sic Dil. recte, quamquam in Cordi Epigr. (Marp. 1529) et in ejus operum poet. editione (Francof. 1564) nec minus in Reusneri Iconibus legitur *ille* pro *ore*.

5) Versum a Dil. corruptum ita exhibuit Cordus: *Quanta sub afflato numina corde latent.*

6) In editionibus epigramm. et carminum s. l. haec leguntur: *Quisque faber majus cerdoque nomen habet.* Dilichii lectionem confirmat Reusnerus.

7) Reusnerus pluribus locis recedit a Dilichii lectione.

Sed in ejus tumulum Jacobus Micyllus:

Quid stas viator, aut quid hic circumspicis?
Tumulumne vatis Hessici?
Cui nostra similem aetas[1]) *nullum tulit,*
Nec fors fortuna[2]) *unquam feret.*
Tumulum quidem vides, ubi ossa condita,
Cinerisque reliquiae[3]) *jacent.*
Sed mens supremum propter assidet patrem,
Cui soli hic operatus fuit:
Ubi intuetur quarum ubique gentium est
Famae receptaclum suae.

Theodoricus Dorstenius

Philippi Medicinae Doctoris et Professoris pater, natione Westphalus, quum tyrocinii patriis in gymnasiis posuisset rudimenta, in Hassiam concessit, ubi cum substitisset diutius et in cognoscendis atque tractandis artibus studium suum posuisset omne, sese tandem ad docendi munus traduci passus, juventutem primum veluti trivialis scientiae magister erudiit. At postmodum difficilimi muneris pertaesus relicto scholae, in qua hactenus desudarat, pulvere, ad docendi munus publicum in Academia adhaesit, tandemque, quum Medicinae studio se excellentissimi ingenii[4]) homo dedidisset, ita elaboravit, ut summam illius artis lauream consequeretur, locumque ipsum Cassellas accersitus mutans Medicinam[5]) deinceps ea in urbe fecit optimeque de civibus meritus anno MDLII Maji XIIX die extinctus demum est. Nigidius ita hominis laudes decantavit:

Es bene promeritus de nostra saepe juventa,
Candide Dorsteni, fratris amate loco.
Viximus unanimes per multos suaviter annos,
Dum calidus pariter sanguis utrique fuit[6]).
Tum velut in stadio celeres decurrimus ambo,
Tradentes pueris grammata prima simul.
Tu vero tandem factus prudentior aevo
Sceptra reliquisti pulverulenta scholae.
Doctoris titulum merito tibi namque verendi
Gymnasii nostri contribuere patres.
Inde locum mutans Cassellas rite vocatus
Servasti medica corpora multa manu.
Instabilis fortuna sed est, paucosque per annos
Perpetuam servat lubrica diva fidem.
Triginta siquidem bis, sic puto, transigis annos,
Atropos ut vitam rupit[7]) *avara tibi.*

---

1) Dil. per errorem omisit *virum*.
2) Micyllus Reusnero auctore dedit *futura*.
3) Micyllus *relliquiae*.
4) Locus imaginis.
5) Paedagogiarchae munere, quod a. 1539 susceperat, se abdicavit a. 1549, teste Goclenio orat. de vita Petri Nigidii. Albo acad. inscriptus est a. 1532, addito nomine Magistri Erfurtensis.
6) Nigidius ipse habet *foret*.
7) Dil. falso scripsit *rapit*.

Reinhardus Lorichius
Hadamarius.

Hic cum a primis Academiae temporibus voluntatem studiumque suum ad Paedagogei transtulisset regimen, postmodum oratoris aggressus munus composite, ornate et copiose juventutem eloqui docuit non sine genio, vir sane in docendo acerrimus et copiosissimus, qui ea, de quibus alii tenui quodam et exiguo sermone disputant, omni cum gravitate et jucunditate explicaret. Ideoque ex ejus quasi ludo et dicendi officina multi prodiere, qui postea rivulis ex illius eloquentiae flumine[1]) deductis hortulos suos irrigarunt. Nec honorum, qui ex administratione publica exurgunt, fuit exors. Nam Decani equidem munus quater, summum vero in Academia magistratum bis sustinuit[2]). Reliqua e Nigidii peti possunt testimonio.

Egregie doctus, Rhetorque Hadamarius olim
Extitit hic ingens lumen honorque scholae.
Rhetoricen docuit vivaci laude professor,
Ipsius ut toties edita scripta probant.
Innumeros fudit versus praedivite vena,
Quae finxit docto[3]) doctus et ipse stylo.
Non referam hic alias dotes, quibus ille nitebat,
Ingenio praestans, pectore fidus homo.
Hic omnes Rhetor memorandi excelluit arte,
Doctrina clarus, moribus atque bonis.
Postmodo divini spargendo semina verbi,
Externa est factus praeco fidelis humo[4]).
Hic obiit mortem, dignus meliore profecto
Fortuna et cursu prosperiore frui.

Tandem cum ad sacra appulisset animum, verbi divini praeco factus anno MDXLIIX Bernbachii sub nobilibus a Franckenstein diem suum obiit[5]). Ex scriptis ipsius *in Progymnasmata Aphthonii scholia*, et *de Principibus informandis tractatus* succinctus ille quidem, sed elegantissimus prorsus, ut hac in parte etiam Patricio ipsi, qui de regno eodem fere argumento scripsit, palmam praeripuisse videatur, extant. Erasmi quoque libellum *de civilitate morum in succinctas et memoriae juvandae utiles quaestiones* digessit et locupletavit: *Titi Livii orationes omnes ex libris de II bello Punico artificio Dialectico et Rhetorico* illustravit et ex iisdem *Miscellanea*, *observationes et apophthegmata* rerum memorabilium excerpsit: scripsit item argumenta *in omnes orationes*, quibus accesserunt, quae extant apud *Crispum Salustium*, *Q. Curtium*, *C. Caesarem*, *Cornelium Tacitum et Herodianum*. Collegit *Medicinam* etiam *animae*, *cui mortis commentationes et consolationes additae*, et carmine descripsit *Asueri Persarum Regis convivium*, et *Parii coenam Rhetoricamque in compendium et Tabulas* redegit[6]).

---

1) Locus imaginis.

2) A. 1539 rectoris, a. 1540 vicerectoris munere functus est; cf. vita Adami Cratonis. Albo inscriptus est inter primos Academiae cives a. 1527 addita dignitate bonarum literarum professoris. Pistorio et Ayrmanno auctoribus professioni oratoriae ab a. 1535 ad a. 1548 praefuit.

3) Nigid. *docte.*

4) Sic Nigidius; Dil. per errorem scripsit *externo* et *homo.*

5) Pistorio teste obiit circ. 1556, Striederi fontes *post a. 1564* mortuum indicant, Nigidius annum quidem mortis omisit, sed siquidem ex loco, quem ei in catalogo suo dedit, concludere licet, a. fere 1561 mortuum opinatus est.

6) Librorum tituli, quos Dil. e Simleri epitome biblioth. Gesneri sumsit, apud Striederum minime omnes commemorantur.

Theobaldus Gerlacius[1])

Billicanus.

Billicanum jam senem cum conjuge Nordlinga ad nos transmisit, oratorem insignem, qui in locum Hadamarii Rhetoris circa annum MDXLVII, quum juris publici et privati bene esset peritus, a Ferrario in utroque jure lauream accepit, proximoque post anno supremum in Repub. Academica et anno MDXLIX Decani munus. Hinc anno DL, quum Rodingus scito publico ad Rhetoricam docendam se dedisset, Billicano explicandarum historiarum partes delatae sunt. Scripta ipsius leguntur *Apologia ad Joannem Stoplerum Brunsvicensem Cancellarium: Libellus de Coena Dominica: Epitome Dialecticae et in libros Aristotelis Physicorum et Meteororum.* In Professorum Elencho hoc elogio ornatur a Nigidio:

Palladiam docuit Bilicanus[2]) *ille juventam,*
Facundoque senex praeditus ore fuit.
Ille Professorum non infima fama superstes
Fortuna dignus prosperiore fuit.
Hunc Nordlinga dedit casta cum conjuge nobis
Rhetora praestantem, consiliisque gravem.
Salusti explicuit docte et feliciter ambas
Historias, clari scripta venusta viri[3]).
Inde etiam duplicis cognovit pragmata juris
In quavis caussa Roscius ille fuit.
Tandem correptum morbis aetate senili
Ceu somni specie mors inopina tulit

anno MDLIV Sextilis IIX.[4]) corporis mortalis exuviis terrae in D. Elizabethae aede mandatis.

Antonius Niger.

Hujus Vratislavia Silesiorum oriundi ingenium, quum Erfurdiae operam navaret, artium liberalium studiis, non aliter atque Phidiae signum simul aspectum et probatum est clarissimis viris Cordo, Eobano, Megabaccho et Nordeco[5]). Ideoque illis praecipue authoribus se contulit Marpurgum[6]), ubi rerum naturalium caussas edisseruit publice primus, Graecisque simul eruditus doctrinis easdem docuit porro multae industriae magnique laboris homo, qui propterea elegans quoque carmen pangere didicisset et majoris gloriae cupiditate ad artem medicam abstractus in hac praecipue disciplina separatim elaborare cuperet. Quamobrem ut rerum hanc ad artem spectantium usum colligeret aliquem, anno MDXXXVI Patavium, quod inprimis ob Apollineas hasce artes celebre semper fuit, concedere, illicque exercitatione acuere ingenium non est veritus, etsi provectioris jam esset aetatis et docendi munus jam ante in Marpurgensi Academia cum laude sustinuisset. Nec eventus hisce consiliis et studiis defuit. Nam id quod

---

1) *Gerlachium* Dil. dicit in Rectorum catalogo, quo munere ornatus a. 1548 ipse juris utriusque professorem, dicendi magistrum Albo se inscripsit. Saepe solo patrio nomine Billicanus appellatur, sicut Hadamarius. Plura de hoc viro inter doctrinae evangelicae propagatores haud mediocri reperiuntur apud Striederum IV, p. 369 et Add. X, p. 383 sqq., qui Schoepperlini prolusionibus scholast. duabus de vita Theobaldi Bilicani. Nordl. 1767. 68. 4. usus est.

2) Nigidius *Bilicanus et ille.* 3) Locus imaginis.

4) Nigidius eum obiisse dicit *nono* Augusti die.

5) Joannes Nordecus Philippo Principi a secretis et consiliis fuit.

6) Pistorio auctore circ. a. 1532; Albo inscriptus est a. 1533.

spectabat virorum isthic doctissimorum et artis illius, ut illis in locis fere sunt, peritissimorum suffragatione et opera consequutus, ut Doctoris titulo et nomine ibidem ornaretur, Brunovici studiorum fortunarumque sedem uxore isthic ducta collocare artemque, quam multis impensis et labore didicerat, ea ipsa in urbe exercere voluit. Tandem anno MDLV die V Junii obiit libello *de sanitate tuenda* edito [1]), qui etiamnum illorum, quos valetudinis tangit cura, manibus teritur. Scripsit etiam in usum scholarum trivialium *Grammaticam Graecam* non in nostra modo Gymnasia, verum postea quoque finitimorum receptam. Prodiit etiam ipso authore tractatus *de erroribus atque abusibus, propter quos medicina infamata*, prodierunt et *Psalmi Davidis aliquot* Graecis versibus redditi, servanturque consilia ipsius medica [2]).

Nicolaus Blechlerus

Alias Windrieme, Smalcaldianus primum puerorum menteis ad humanitatem effinxisset atque virtutem. At enim quum propter prudentiam, acumen et scientiae ipsius varietatem atque copiam quamcunque se in partem dedisset, facile magni aliquid praestiturus videretur, ab hisce puerilis doctrinae incunabulis ad juventutem Academicam instituendam traductus, munus hoc aliquamdiu accuravit et anno MDLIV Reipub. Academicae clavum tenuit, quum biennio ante Decani perfunctus esset munere, vir spectatae tum eruditionis, tum pietatis ab arte Medica et Mathematicis disciplinis subtilitate et varietate rerum admirandis instructissimus. Postmodum operam suam Suarceburgio comiti condixit atque valetudinis curam annos aliquam multos habuit. At tandem mutata sede sese contulit Erfurdiam, ubi cum Medicinam aliquandiu factitasset, atque philosophiam stipendio docuisset publico, fatis concessit [3]).

M. Casparus Rudolphi

Natione Suevus, Canstadio oriundus, moribus initio juventutis paulo fuit difficilioribus [4]). At vero quum postmodum literarum et disciplinae cultu paulatim emollescere coepisset animus atque flecti, inter primos Academiae illius Philosophos locum meruit, Dialectices et organi Aristotelei professor atque Paedagogei Ephorus pueritiaeque censor perquam rigidus. Caeterum is cum anno MDXLIIX abisset Fridbergam, revocatus inde operam suam et tandem vitam isthoc in munere et stipendiariorum Ephoratu sexagenarius posuit anno MDLXI, quum triginta annos munus laboriosissimum erudiendae juventutis in Paedagogeo, Academia et Pomoerii

1) Locus imaginis.

2) Ab alia manu eaque multo posteriore addita sunt haec verba: *De eo Nigidius;* cujus versus in aliorum quoque philosophorum vitis a Dilichio omissa eadem manus addenda esse indicavit.

3) Integra pagina vacua et imagini et elogio addendo spatium reliquit. Albo inscriptus est Nicolaus Blechler Ludi superioris magister a. 1530. Nigidius annum mortis omittit, sed non obest Pistorio circ. a. 1556 eum obiisse tradenti, adiisse ad academiam a. 1538, abiise ad comitem Schwarzburgensem a. 1544.

4) Haec fluxisse videntur e Nigidii verbis:

Moribus asperior primaevae in flore juventae,
Res mira est! factus postmodo mitis homo.
Namque avida auscultans divini oracula verbi,
Mutavit mores in pietate feros.

Dilichium secutus est Freherus, e quo solo ducta sunt Joecheri verba *von gar schlechten Moribus.* Haud paucas de eo narratiunculas exhibent Melandri Jocoseria. Paedagogiarchae munus adiit a. 1530, quo anno ejus nomen Albo inscriptum est, professionem academicam a. 1532.

collegio sustinuisset, omnes molestias diligentia et assiduitate superasset. Reipub. quoque Academicae tractavit gubernacula Rector et Decani munus administravit sexies. Defuncto funus factum XXIII Augusti[1]) cadavere in coemeterio superioris templi ad ejusdem valvas condito. Labores et munus, quod ille in erudienda et gubernanda juventute, quae Principis impensis alitur, sustinuerat, excepit Henricus Vietor Fridbergensis. Rodolpho autem hoc Paganus:

Aspice defuncti spirantia membra Rodolphi,
Qualia, dum vitae vis superesset, erant.
Testatur vegetam facies heroica mentem,
Quae dedit haud ullo victa labore manu.
Dum Sacras studiis exercuit impiger artes,
Dum vires curis fata dedere pares.[2])
At nunc coelestem, quam semper amavit, ad aulam
Transiit et fama vindice vivit humi.

Reliquit *Dialecticam auctam et recognitam cum tabulis omnium Dialecticae partium* et *Annotationes in libros Rodolphi Agricolae de Inventione.*

Joannes Glandorpius[3])

Monasteriensis Westphalus homo ad instituendam juventutem naturae muneribus ita habilis et aptus, ut eam ad rem non natus, sed veluti a Deo fictus videretur, operam quoque suam inter alios huic Academiae instar Atticae Musae in historiis, orationis genere fuso atque tracto et cum lenitate quadam aequabili profluente explicandis commodavit, de cujus viri laudibus hic quidem dicere nil attinet. Nam homo is eloquentissimus, cujus in labris non aliter atque Periclis sessitare videbatur πειθώ et qui inter poetas eo fere seculo ducebat familiam, ab omni laude est felicior, quam ut a nobis laudari aut possit aut debeat. Virum sane ejusque in instituenda juventute industriam et studium novit Saxonia, novit Westphalia, Brunsvigum, Susatum, Goslaria, Hervordia noverunt, ubi literariam pubem doctrina et disciplina rexit Gymnasiarcha. Recte itaque de eo Nigidius

Corpore adhuc vegeto scriptores volverat omnes,
Pierium carmen pangere doctus erat.
Pallida mors curva quae demetit omnia falce,
Debuit huic sane parcere saeva viro.
Sed nulli Parcae, crudelia numina, parcunt,
Observant certum, quem statuere diem.

Hervordiae autem vivere desiit anno Ch. MDLXIII[4]) optime de re literaria et inprimis juventute meritus, ibidemque sepultus et ab Henrico Sibaeo Olphenio[5]) ejusmodi Epitaphio ornatus.

Lector amans Christum cubat hic Glandorpius ille
Musarum cultor Pieridumque decus,
Quem nunquam vivum Germania tota prehendit,
Defunctum tumulus continet exiguus.
Claraque quem parvi fecit Hervordia visum,
Mortuus hic illi gloria semper erit.

---

1) Hunc obitus diem testatur Album acad. 2) Imago Rudolphi.

3) Glandorpii vitam scripsit Rein. *Reineccius* additam libro de M. T. Ciceronis morte et monumento, Helmst. 1589. 8. Pistorius eum circ. a. 1540 Marburgum venisse, circ. 1543 discessisse tradit; Striedero verisimilius visum est eum venisse a. 1534, quam opinionem confirmat Album acad., abiisse 1536.

4) Hunc annum e Nigidio sumsit Dil., cui Pistorius diem addit XXII. m. Febr.; eundem diem habet anno in 1564 mutato Strieder.

5) Locus imaginis.

Matthaeus Philocapella

Vir et praestantissimo ingenio et flagranti studio et doctus a puero quicquid potuit studii ad docendam Ethicam et Grammaticam adhibuit[1]), eoque nomine omnium sibi conciliavit gratiam. Sub ejus effigie hi leguntur Pagani versus:

Matthaeum vivax monstrat pictura Capellam,
Quo duce moralis pascitur ordo scholae.
Nobilis hunc Cattas Erphurdia misit ad oras,
Martia cum primum nota Lycea forent.
Fidus ubi patriae praecepta fidelia morum
Tradidit, ingenuo pabula grata gregi.
Quid quod et emeritus non signa relinquere miles,
Sed soliti pergit ferre laboris onus.
Pro meritis igitur multum tibi patria debet,
Nec studiosa minus, docte Capella, cohors.

Anno demum MDLXIV, quum Autumno jam imminente pestis grassari inciperet, eamque ob caussam Academia sede exturbata sua exularet Francobergae, Capella senex vitae pertaesus et propterea locum mutare nolens una cum decem liberis hac ipsa lue extinguitur decimo octavo Octobris die[2]), quum quadraginta docuisset annos, multa cum laude sexagies[3]) Decanus, bis Rector[4]). In summo templo ad baptismi fontem humo consitus visitur, laboribus studiorum fractus annisque gravis.

Nicolaus Asclepius
Barbatus

Cassellanus initio efflorescentis Academiae huc se Homberga Cattorum, ubi ludi moderatorem egerat primarium, contulit, Philosophus, Poeta et Orator, uti seculum illud ferebat, non contemnendus. Atque quidem inter primos Academiae proceres Dialecticam et Ethicam docere jussus est. Postmodum etiam quum Juris Civilis intelligentia atque prudentiae genere praestaret, jurisconsultorum suffragiis et Ferrarii opera Juris U. Doctoris titulum ac nomen adeptus est anno MDLVI[5]). Tandem grandaevus et emeritus de curriculo hujus vitae decessit anno MDLXXI Aprilis XXI[6]), quum Rectoris sustinuisset semel, Decani autem munus quinquies et inter alios Cratonem Heimbachium, Hersfeldensem postea Abbatem et Imperii ipsius Principem, Philosophica laurea anno MDXLIII condecorasset. Sub ejus imagine hoc me legisse Pagani carmen memini:

Quid sibi cana velit veneranda frontis imago,
Si dubitas, lecto carmine doctus eris.
Haec est Aesclapii facies: quem coelica juris
Regna pererrantem plurima vidit hyems,
Quemque suis fovit Grynaeus Apollo sub antris,
Cum caperet Clarios ex Helicone cibos.

---

1) Munus professoris moralis philosophiae eum adiisse a. 1536, Album acad. docet.
2) Nigidius d. X, Pistorius d. XIII Oct. habet.
3) Sic Dil.; voluisse videtur *sexies*.
4) Imago Philocapellae.
5) Hoc a. 1546 factum esse promotore Jo. Oldendorpio, Strieder I, p. 186 ex Annal. acad. recte affert.
6) Nigidio teste d. XX Martii.

Ergo seu sacram spectes sine labe poesin,
Seu quocunque potes[1]) *Musa placere foro*[2]),
Virtutes animi parva sub imagine cunctas
Aspicis et clari signa verenda ducis.
Quem studiosa cohors multos mirata per annos
Abstulit e nostra commoda mile schola.
Atque utinam meritis sors dona rependeret aequa
Duxque diu Musis viveret ille piis.

Hermannus Ulnerus[3])

Hersfeldianus J. U. D. Poeseos Professor et judicii postea Hassiaci Assessor, suum quoque in Academia locum et munus tenuit. Hinc Nigidius ejusmodi eum ornat elogio

Optimus hic docuit Diomedis[4]) *scripta professor*
Ulnerus patriae lucida stella suae.
Explicuit docte Venusini carmina Vatis,
Quae scite scholiis vestiit inde suis.
Lexicon et Juris pulchro conamine scripsit
In messem pubes ingeniosa tuam[5]).
Post Juris Doctor celsas conscendit in aulas
Nestoreus dignus vir superesse dies.
Diis aliter visum, rapiens namque omnia demum
Abstulit hunc validum mors inopina virum

Marpurgi anno videlicet MDLXVI primo die Martii[6]).

Theobaldus Thammerus[7])

Argentoratensis hic in Philosophorum numero habitus est et docuit aliquandiu, et tandem pinguioris conditionis spe deflexit ad Pontificios. Ideoque Nigidius ita in hominem invehitur

De te quid vero vanissime transfuga dicam,
Censurae stabilis[8]) *judicioque Dei.*
Is solus mentes cunctorum et pectora novit,
Is tibi pro meritis praemia digna dabit.
Tu coelo tanquam cecidisti Lucifer alto,
Dum revocas recte tradita quaeque tibi.

---

1) Sic cod.; an *potest?* 2) Imago Asclepii.

3) Ipsam inscriptionem statim sequitur spatium imagini constitutum.

4) Grammaticum latinum dicit.

5) Horatii Opera lyrica, Herm. Figuli i. e. Ulneri annotationibus illustrata, edita sunt Francof. 1546, lexicon juris ibidem eodem anno.

6) Pistorius ad academiam eum accessisse tradit a. 1550, inde ad dicasterium a. 1560, sed ex eis quae apud Striederum XVI, p. 240 sqq. collecta sunt, apparet eum jam a. 1546 professorem fuisse et per breve tantum tempus hoc munere functum ad principis Waldecensis consilium transiisse, unde a. 1559 Marburgum revocatus est ad munus consiliarii in dicasterio suscipiendum.

7) De Theobaldo Thamero — sic enim ejus nomen scribi solet —, quem inter theologos Tilemannus recepit, e priorum testium numero Striederum XVI, p. 127—154 laudasse sufficiat; nuper post Neandrum de ejus vita et scriptis dissertationem inauguralem edidit *A. Hochhuth*, Marp. 1858; cf. idem in Zeitschr. f. histor. Theol. 1861, p. 165—279. *Räss*, d. Convertiten seit der Reformation. Freib. 1866. I, p. 236 sqq.

8) Sic Dil.; Nig. *stabis.*

Quare stans videat quivis ne mente superba
Elatus subito tartara in ima cadat.
Non Papae addictus, sed nec contrarius illi,
Ambiguus neutram coepit inire viam.[1])
Atque ita nec calidus prorsus nec frigidus idem
Claudicat infelix inter utrumque latus.
Hunc pullum fovit clemens Ecclesia mater,
Et matrem cuculus glutiit inde suam:
Et credens eadem proprium se pascere foetum,
In gremio scytalem[2]) *nutriit ipsa trucem.*
Sic etiam mulus genetricis lacte refertus
Ferratis matrem calcibus inde ferit.

Obiit autem Friburgi in Brisgoia anno MDLXIX Maji XXIII[3]) et inter alia scripta reliquit *Tractatum an et quatenus Christianis in persequutionibus fugiendum.*

M. Josephus Lorichius
Hadamarius.

Hadamaria arx est comitatus Nassovici, quae Lorichiorum Hadamariorum familiae nomen addidit. Huic praefuerat Joannes Lorichius primus, septem filiorum haud degenerum parens, e quibus Gerhardus, Valentinus, Reinhardus et *Josephus* literis excelluerunt. Ac Reinhardus quidem, cujus supra facta mentio, Joannem secundum procreavit, qui postquam juvenis militiam aliquandiu sectatus fuisset, ad Musas suas rediens ad fratrem Georgium JCtum abit in Lituaniam, qui ipsi author fuit Legum ut amplecteretur studium et Gallias ob id proficisceretur, ubi Aurelius totum se juris mancipavit scientiae. Interea *Josephus*[4]) Historiarum professor *τὸ μέρος ἐπιβάλλον* ad Academiam hanc exornandam et ipse contulit. De eo igitur in suo Professorum Elencho Nigidius:

Rhetoris[5]) *hic frater Reinhardi saepe docendo*
Ornavit nostrae pulpita clara scholae.
Historiarum aliquot scriptores atque poëtas
Exposuit dextre, culta juventa, tibi.
Nunc vero Elysios peragrando suaviter agros
Nigidii exspectat proxima fata senis.
Quando erit, ut tandem priscis sociatus amicis
Nectare cum Divis ambrosiaque fruar?[6])
Tum Christi laudes aeterno tempore pleno
Cum tot millenis fratribus ore canam.

Diem vero tandem extremum clausit Josephus anno MDLXXIV Januarii sexto die Cassellis[7]), Reipub. ibidem a Secretis.

---

1) In margine apposita est figura, qua h. l. inserendam esse imaginem, quae deest, indicatur.

2) Nig. *scytalen.*

3) Hunc diem e Nigidio Dil. sumsit, plerique d. X Maii indicant, alii alium.

4) Quae ab initio hujus vitae usque ad hoc verbum leguntur, in scida agglutinata inscripsit Dil. usus, ut verba congruentia docent, Melch. Adami vitis German. jurecons. Heidelbergae 1620 primum editis, ubi p. 186 sqq. de *Joanne* Lorichio ICto agitur.

5) Cod. *Rethoris.*

6) Locus imaginis.

7) Haec cum Nigidio consentiunt; reliqua verba et ipsa ex Adamo postea addita videntur, qui sua ex oratione funebri in Joannem habita a Philippo Lonicero desumsit.

M. Benedictus Aretius

Helvetius natione, patria Bernas multijugae et [1]) spectatae eruditionis vir in M. Rudolphi, quum is anno MDXLIIX Fridbergam abiisset, locum suffectus Philosophiae partem eam, quae in ratione et disserendo posita est, ita tractavit, ut ingenii acumen et hominis moderationem atque sapientiam admirarentur omnes. Ideoque si viro pedem hic figere libuisset, forte an eidem, quod alicubi ait Tibullus, niveis Delius alitibus fulsisset [2]). At cum majorem patriae rationem haberet, ejusdem amore hinc abstractus domum rediit, tandemque verbi divini Doctor et praeco anno MDLXXIV Aprilis XII [3]) occubuit isthic. Scripta ejus plena prudentiae, sapientiae et pietatis a Theologis etiamnum in precio habentur, cujusmodi sunt *Sacra Problemata tribus comprehensa: Commentaria in Sacros Codices et Methodus.* Nomini ejus hoc consecravit Goclenius Senior hexametrojambicum:

Nomine reque fuit Benedictus Aretius inter
Nostri Sophos Humaniores GymnasI.
Scilicet omnia in hoc BENEDixit: magna docentis
Et a bonis laudata passim gratia.
Tanto alios logicos anteibat acumine dextro,
Reliquis equis quantum praeibat Pegasus.

Conradus Matthaeus [4])

Alsfeldiae, quod Hassiae Superioris non obscurum oppidum, natus anno MDXIX non ignota Mathaeorum familia, quam primum per aetatem potuit a parentibus piis et de filio recte educando solicitis in patria schola Magistris traditus Grammaticae initiis imbui coepit Postmodum quum Marpurgense aperiretur Lycaeum, aetatis anno XII eo missus, ut quae domi didicerat, illic in Paedagogeo excoleret uberius, usumque ipsum perciperet. Sic itaque cum biennium hoc in stadio laborasset, ut primum ex pueris excessit, ex hoc pulvere eluctatus [5]) et ad publicas admissus lectiones, majori sese opera ad audiendum, legendum scribendumque dedidit eo successu, ut triennio post illius seculi more prima, quam Baccalaureatus vocant, et altero biennio exacto, quum jam XIIX esset natus annos, secunda laurea, quae Magisterii dici solet, donaretur. Atque ita quidem brevi temporis spacio encyclopaedia absoluta eo ipso, quem diximus, anno in Paedagogeo eas artes, quibus aetas puerilis ad humanitatem informari consuevit, tradere coepit, eoque in munere difficili sane et perquam molesto, non, quod infimi solent homines, veluti mercedula aliqua adductus, sed tanquam is qui publicam utilitatem privatis commodis anteponens in inculto et derelicto solo sereret fideliter, e quo uberrimos et laetissimos fructus aliquando ferret Ecclesia et Respublica, XI annos versatus est. Ideoque quum Academiae patribus industriam fidelem ac diligentiam satis superque approbasset, ab iisdem Principis authoritate intercedente, anno MDLI in Professorum numerum cooptatus et historias, quibus rerum veterum cum superiore aetate contexitur memoria, applicare jussus est. At quum anno tertio post Rodingus Melsungam abiisset, in ejus locum suffectus Rhetoricen,

---

1) Imago Aretii.
2) Tibull. III, 6, 8.
3) Sic Dil., quem Freherus sequitur, forsitan per calami lapsum; nam Nigidius d. XXII Aprilis habet.
4) In hac vita paulo uberius describenda Dil. usus esse videtur Bern. *Copii* oratione de vita et obitu C. Matthaei. Francof. 1581. 4.
5) Imago Matthaei.

sine qua nihil vel graviter vel ample et copiose dici potest et explicari, docuit deinceps. Caeteroquin etiamsi publicis his negotiis esset districtus, tamen vim rerum cognitionemque, quae e philosophia et politica efflorescit et ab illo e jure Romano, tanquam fonte perenni hausta fuerat, cum oratione sociare cupiens ad summam J. U. lauream aspiravit, eamque anno MDLXIII[1]) mense Aprili, una cum Vigelio et Hectore a Jossa Oldendorpio diribitore consequutus simulque a Principe inter primos summi Tribunalis Hassiaci, quo in caussis forensibus provocatio est iis, qui aliis in curiis caussa ceciderunt, Assessores lectus et una cum collegis ejusdem Praesidi Arnoldo a Viermunde adjunctus est. At qua fide, sanctitate et diligentia usque ad extremum spiritum munus id sustinuerit, hic dicere nil attinet. Forensia negotia non infinitis concertationumque plenis disputationibus, sed auctoritate praecipue et nutu legum constituebat et ab alienis mentem, oculos, manum abstinebat, ut eum veri Juris et justitiae sacerdotem appellare possis. In Republ. quoque Academica quintum Rector, Decanus ter quaterve et demum etiam ejusdem Syndicus, quas partes anno MDLXVI jubente ita Principe suscepit primus, ita pro salute publica, cujus non minima pars in instituenda cumprimis recte juventute vertitur, excubuit et vigilavit, ut nihil quicquam eorum omitteret, quae ad juventutis studia promovenda quoquo modo facere viderentur. Ideoque cum perspiceret omnino facile e juventutis usu non esse, si ejusdem industria nullis scientiarum cancellis et limitibus circumscripta distraheretur[2]) in plura, id authoritate effecit sua, ut cujusque aetatis et disciplinae synopses et epitomae certo ordine descriptae et informatae, adeoque veluti aurificis statera aliqua, non autem populari quadam trutina examinatae proponerentur publice, e quibus ista uno quasi intuitu vim naturamque rerum scientiis et disciplinis ipsis comprehensarum perspiceret, tantoque artem quamlibet animo complecteretur facilius. Atque inter istas quidem curas cogitationesque, studia et rei domesticae difficultates quum Assessoris, Senatoris, Decani, Rectoris et Prorectoris dignitatem non sine fidei, sedulitatis et industriae laude sustinuisset, operamque suam annos plus minus XLIII Reipub. navasset, anno Salutis MDLXXX[3]) catarrho epidemico, qui universam[4]) propemodum pervaserat Europam, correptus XXIIX Novemb. supremum illud inivit iter, quo confecto nulla amplius cura aut solicitudo reliqua est, liberis, in quibus cum nominis memoria, tum vero generis fulcrum positum est, dignitatis paternae aemulis et omni honestarum artium genere non mediocriter versatis superstitibus, Philippo Matthaeo J. U. D. successore, Henrico Ecclesiaste Palatino, Joanne Archiatro Nassovico et Antonio JC. et Acad. Marp. Professore[5]), ut non immerito cum Bruto apud Ciceronem lib. de clar. oratoribus exclamare liceat: o generosam stirpem, et tanquam in unam arborem plura genera, sic in istam domum multorum insitam sapientiam. Cadaver in summo templo conditum in spe resurrectionis futurae requiescit. Ejus effigiei Paganus haec subjecit:

Praesentes cernens Pallas Tritonia vultus
In notis fixit lumina glauca typis:
Atque ait, agnosco veteris vestigia formae,
Formator gregis est optimus ille mei.
O quantos pro me, quanto sudore labores
Pertulit, in Martis dum regit urbe Scholas.

---

1) Hunc annum e Copii oratione sumsit Dil.; sed verum esse MDLXIV et Annales acad. docent e Pagani carmen gratulatorium, quo Stried. usus est.

2) Cod. *distrahetur.*

3) Dil. per errorem manifestum scripsit MDLXXC. De ipso anno nulla est dubitatio.

4) Cod. *universum.*

5) Verba *Philippo — Professore* ab ipso Dilichio in margine addita sunt.

At nunc eximiis Doctoris honoribus auctus
Commoda Justitiae multa foroque feret:
Scilicet hos fructus, haec praemia vivida virtus
Infudit gremio, clare Mathaee, tuo.

Petrus Nigidius Senior.[1])

Patria Nigidio fuit Allendorffium Salinis celebre Hassorum oppidum, quod eum nascentem excepit anno MDI octavo Cal. Martias, cui ascripta est in Christianis factis cathedra Petri, unde et nomen ei in baptismo contigit. Hinc cum esset ingenio alacri, vivido, liberali a parentibus Hombergam Cattorum ad Nicolaum Asclepium adductus est prima statim aetate, ut ejus potissimum auspiciis puerilis doctrinae comprehenderet elementa et ad humanitatem fingeretur atque virtutem. Sed postea XIII annorum puer ad uberiorem ingenii cultum capessendum Northusium Duringorum profectus administras operas Raido ludi praefecto, Hersfeldensium postea concionatori, praestitit. Indeque Erfurdiam anno Christianae epochae XVII concessit, ubi instar Cleanthis noctu pistori in aqua haurienda operam locantis, ut interdiu vitam sustentare et Chrysippo Philosopho operam dare posset, Lango et Hunno famulatus nocteis et dies in doctrinarum omnium meditatione ita versatus est, ut titulum Baccalaurei, qui tum equidem temporis magni fieri consueverat, consequeretur. Quum itaque eo indefesso progressus esset studio, ut pueritiae docendae aptus videretur, Echwegam primum, quae in Hassiae et Duringiae est confiniis, postmodum in patriam accersitus, ut institutis[2]) et praeceptis suis juventutem erudiat, id quod circa annum epochae Christianae XXI accidit. At enim quum id in laude poneret maxime, si non uno de ludo et Repub. bene mereri posset, anno Christi MDXXIII Gottingam concessit Saxonum, uxoremque sibi adjunxit pariter Eulaliam Gilliam, e qua ei postea tredecim nati sunt liberi, qui Dei beneficio stirpem hanc ita propagarunt, ut nepotes viderit ac pronepotes XXCIII posterosque adeo CII. Caeterum quia jam pridem animo ejus Witebergae et quae tum praecipue effulgebant illic, Germaniae luminum Lutheri et Melanthonis visendorum insederat cupiditas, circa annum DXXVI illuc profectus est, quod ei non male cecidit. Innotuit enim hominis in tenera juventute instituenda assiduitas atque industria magis magisque, ita ut uno eodemque propemodum tempore ejusdem opera hinc inde expeteretur[3]). Sed scholastica Darmstadiensi et Lunaeburgensi functione, quamvis luculenta utraque satis esset, praeterita ad Allendorffenses suos regressus a XXVII anno scholae ibidem praefuit denuo usque ad annum XXXII, quo Marpurgum evocatus est, ut Reinhardo Lorichio in paedagogeo moderando, tanquam collega primarius succenturiatam praeberet operam, ubi Magistri condecoratus honore anno vertente Paedagogiarchae praeponitur muneri, quod ita sustinuit, ut non nisi juventutis spectaret commodum. Ideoque ut ejus studiis tanto consuleretur rectius, suam ex opere Mycillophilippico[4]) concinnavit tum temporis Grammaticam. At cum annos fere VII in hoc industriae curriculo allaborasset, anno a Christo nato MDXXXIX Cassellas accitus decennium ita puerorum isthic rexit disciplina ingenia, ut non tantum praeceptis formaret atque institutione eadem, sed etiam quod omnium difficilimum, quum cujusque

1) Usus est Dil. *Goclenii* orat. de vita et moribus M. Petri Nigidii anno 1585 habita et una cum Nigidii Elencho profess. acad. Marp. a. 1591 edita.

2) Cod. *instutis.*

3) Cod. *experetur.*

4) Hoc verbum eodem modo scriptum e Goclenii oratione mutuatus est Dil. De Melanthonis grammatica a Micyllo emendata cf. *Raumer* Gesch. d. Pädag. I, p. 391 sqq. *Classen* Micyllus p. 237 sq.

vita [1]) mutari non possit, aut natura converti, repente mores fingeret vel inprimis, id quod etiam ad Paedagogiarchae munus, quo se Dorstenius Cassellas ad Medicinam factitandam migraturus abdicaverat, Marpurgum [2]) revocatus pari et fide et industria praestitit dexterrime. Praefuit autem muneri huic secunda vice ab anno MDXLIX decem annos cum semisse a Ferrario, cui tum equidem temporis Rectoris incumbebat munus, renunciatus Paedagogiarcha publice. Tandem quum optimam aetatis partem in pulvere illo posuisset scholastico et se tantum non in puerilis illius doctrinae incunabulis contrivisset, ut inclinata jam aetate animum quodammodo ab illa contentione et assiduis laboribus laxaret, Vultejo Paedagogii cura demandata hic quidem in collegium philosophicum asscriptus anno, nisi me fallit memoria [3]), DLX, et postmodum [4]) quoque Physicam docere jubetur, id quod Paganus hisce expressit versibus:

Publica per multas si res sua semina messes
In certo cupiat cernere juncta loco,
Tempora Nigidii cernens labentia Petri
Seminibus foetum mille videbit agrum.
Tot peperit verbi, Juris Medicaeque patronos
Artis et Aoniae pignora clara domus,
Octavum properat studio dum claudere lustrum,
Ex quo fluctivagis coepit adesse scholis.
Nunc longis autem curis confectus et aevo
Cum summa physices dogmata laude docet.
O felix igitur, felix nimis Hassia, tales
Si semper pubis possit habere patres.

Caeteroquin licet tot tantis laboribus pene fractus videretur, non tamen ille animum a laboribus remittebat et curis, verum sui semper similis huic uni juventutis erudiendae operi instabat, uti solitus erat antea semper, maxime ita, ut candidatis honorum conferret insignia et Decani perquam diligenter fungeretur officio. Ideoque quum animum hisce negotiis decennium occupatum habuisset, Academiae Proceres subductis, quos exantlaverat, laboribus, rude eundem donandum censuerunt, idque XVI Julii anno MDLXXV a principe impetrarunt. Sic ergo exacta jam aetate homo LXXIV annos natus cum annos plus minus LIV in scholis Allendorphiana, Eschwecensi, Gottingensi, Cassellana et hac Marpurgensi ea animi praesentia et alacritate allaborasset, ut molestias et taedia omnia, quae istiusmodi laboribus obrepere consueverunt hominibus, industria discuteret, et quod nutrices solent infantibus pueris suae fidei creditis omnia minima mansa in os insereret, tandem corporis vires ita exhaustas sensit atque prostratas, ut cibum fere omnem fastidiens non nisi potu et sorbitiunculis se reficeret, qua re motus, quod vitae finem non longe abesse cerneret, se quotidie ad discessum parare coepit et inter alia pietatis exercitia fidei confessionem paulo ante extremum decubitum dulcissimis hisce versibus, veluti cignea aliqua cantione fecit testatissimam:

Quando brevi praesens mors me quoque ponere vitae [5])
Jusserit incertae debita certa meae:
Tu Mariae fili patris coelestis imago,
Tu mihi succurras mortis agone precor.

---

1) Cod. *vi-* in fine versus.
2) Imago Nigidii.
3) Haec verba ipsa e Goclenii oratione desumta sunt.
4) A. 1565, id quod ex iis quae infra leguntur patet.
5) In fine Elenchi Nigidiani *votum auctoris* exstat, cujus alteram partem in medium protulit Dil. mutato primo versu, qui haec habet: *Mors autem praesens cum me quoque ponere vitae.*

In te confido, tu solus sanguine puro
Humani generis facta nefanda lavas.
Tu mihi perpetuam fragili pro corpore vitam
Extincto solita pro bonitate dabis. [1])
Ast qui divino viventes munere [2]) *restant*
Doctrinae insignes ac pietate viri,
Hos precor incolumes conserves trina potestas,
O Pater, o Fili, Spiritus atque sacer.

Atque ita quidem extremo jam Decembri asthmate aut e senio marasmo potius conflictatus XXIX ejusdem mensis circa primam pomeridianam, cum paulo ante vesperam imminere ideoque dormitum eundum dixisset, cubito innitens emoritur placidissime, cum ante octennium rude donatus esset, anno aerae Christianae MDXXCIII.

Petrus Paganus

Wanfridianus Hessus ea fuit ingenii felicitate, ut nihil quod legeret in memoria ejus insideret penitus [3]), quotiesque se in versum mente ac voluntate conjicere liceret homini, verba ipsa sponte sequerentur. Ideoque tantum valuit hominis ingeniosi et memoris exercitatio, ut prima quidem Philosophiae laurea ab Henrico Orthio anno MDL Martii XIV, secunda vero Poëseos ab ipso Romanorum Imperatore Ferdinando primo coronaretur. Atque hoc tanto Imperatoris judicio quum digna re, digna nomine Poëtae, digna hominum auribus effecturus putaretur, ab Academia ad Poësin docendam evocatus V Novembris anno MDLXII carmine praefatus Horatii interpretari coepit Odas, quo tempore Nigidius isthaec ejus subjecit iconi

Hassiaci Vatis venerandum conspice vultum,
Quem vivum monstrat parva tabella tibi.
Cujus dignata est Ferdnandi Caesaris ampla
Majestas lauro condecorare caput,
Non quod avis atavisque potens, quod clarus in armis,
Sed quod Musarum clarus alumnus erat.
At [4]) *docta manus faciem depingere possit,*
Nullus erit pictor nobilis ingenii.

Caeteroquin cum idem Nigidius biennio post munere naturalis scientiae explicandae suscepto Historiarum professione abiisset, hanc pariter curae habuit Paganus, intereaque temporis Decani munere functus est. Sed etiam quemadmodum rosae repente senescunt et intereunt, ita et homines. Nam anno MDLXXVI in patriam profectus, ut matrem inviseret viduam, XXIX Maji de vita migrat, quum nondum aetatis annum XLIV attigisset. Paulo vero ante tanquam vitae finem sibi impendere praesagiret, de vitae humanae miseriis Francobergae, ubi tum exulabat Academia, peroraverat poëta et orator optimo cuivis par, sed urbanitatis et salium lepore oratorio, non scurrili excelleret plurimum aliis. Natus autem fuerat anno MDXXXII die Paschatis, Epitaphium ejus [5]):

---

1) Nigid. *dato.* 2) Nigid. *lumine.*
3) Haec verba vitio laborare videntur.
4) Omissum videtur *si.*
5) Epitaphium in ecclesia Wanfridana exstans composuit Jo. Schimmelpfeng teste Striedero. Vix operae pretium erit, corrupta conjecturis sanare.

Ecce brevis magni tumulus tegit ossa poëtae
Pagani, cujus nomen in orbe viget.
Hunc Wanfrida dedit nobis; Echwega pusillum
Enutriit studiis instituitque bonis.
Post desiderio gentes ut adiret et urbes
Externas, longum corripit acris iter.
Hinc Belgas ad iter rapidus quam Sequana lambit
Urbem Campani transit ad arva soli.
Istro delapsus pugnaces venit ad Austros
Hic ubi laureolam clara Vienna dedit.[1])
In patriam rediens summa cum laude poësin
Historiasque simul Martis in urbe docet.
Principibus charum coluit studiosa juventus,
Collegam docti suspiciuntque viri.
Aeger it in patriam, consumpti tabe maligna
Ad sedes migrat spiritus aethereas.
Hinc lapidem memores patruo posuere nepotes,
Qui legit, ut dicat, clare poëta vale.

Nigidius autem ejusmodi epicedio prosequutus est defunctum

Pieridum proles Paganus pulpita Petrus
Ornavit nostrae saepius alta scholae.
Historias docuit pariter sacramque poësin
Interpres praestans, ore disertus homo.
Illum Castalides vatem docuere sorores
Artifici doctum fingere carmen acu.
Vix calamo arrepto multos ex tempore versus
[Quis non miretur?] fautor Apollo dabat.
Id vero mirum, memori quod mente retentos
Post interjectos redderet ille dies.
In media cecidit florens aetate fuitque
Lanicolae vivens gloria magna scholae.
Et sane cana dignus fuit ille senecta,
Longaque Nelidae vivere secla senis.
Fata recusarunt, quibus est parere necesse,
Serius aut citius mors sua quemque manet.
Immaturum obitum moestus deflevit Apollo,
Fleverunt Charites Pieridesque Deae.
Quadraginta annis bis binos[2]) *adde duosque*
Menses ac tandem quatuor inde dies:
Et tibi constabunt, quae vixit tempora, Petro
Numina Pagano quae tribuere pio.
Lustravit juvenis Germani Caesaris oras,
Et vidit mores Itala terra tuos.
Post cupide invisit Musarum castra, Viennam,
Quae lauro cinxit tempora docta viri.
Natus in hanc lucem Cattorum montibus ortum
Duxit, et ad Werram vagiit ille puer.
Et non magna quidem est felix Wanfrida, sed una
Praeclari vatis membra sepulta tegit.
Fama volat celebris totum dispersa per orbem,
Rhenus in aequoreas dum cadet udus aquas.

1) Imago Pagani. 2) Cod. *binis*.

Joannes Richius
Hannoveranus

Poësin aliquandiu in Marpurgensi Academia tradidit venae felicitate Pagano non inferior. Verum cum eos fere prudentiores haberi cerneret, qui, quod de Ulysse prodidit in Odyss. Homerus, multorum cognovissent urbes et mores, in Italiam abiit, et quum inde reverteretur, Mündam in Erici Brunoniae Ducis aulam venit ejus curialibus et Palatinis adjunctus. Hinc de illo [1])

Joannes Beuterus
Francus.

Hic etiam non admodum diu in Philosophorum perstitit subselliis, Budingam ad Isenburgicos Comites evocatus. De eo [2])

Adamus Lonicerus [3])

Hac in urbe natus anno MDXXIIX Octob. die X patre Joanne Lonicero trium linguarum et inprimis Graecae inter [4]) eos fere, qui hac in Academia docuerunt unquam, peritissimo, admirabili quodam ad philosophiam studio concitatus et attentius in eadem commoratus, quod rerum ipsarum magnitudo et varietas summa delectione eundem retineret, etiam aetate majores in studiis fecit progressus, ita XIII aetatis anno primam, triennio vero post, anno videlicet MDXLV, secundam philosophiae et artium lauream, Philosophicae facultatis antistitum judicio promeruerit. Quum itaque apprime videretur dignus, qui se ad docendum daret, sequenti anno Francofurtum, quod ad Moenum est, a patre mittitur, ut sub Jacobo Mycillo, qui tum temporis Rectoris isthic subibat munus, operam in instituenda juventute ponat. At vero quum motus bellici passim increbescerent, post annum Marpurgum reversus cum Casparo Rodolphi Fridbergam Wetteravorum ad constituendam isthic scholam invitatur. Hinc Marpurgum rediit denuo stipendiariis istius loci anno MDL praefectus, sed anno elapso patris praecipue ea in re obsequutus consilio Moguntiam ad D. Osterodum concessit, ut quibus Medicinae praeceptis et institutis abundabat, eadem rerum porro usu et experientia hujus tanquam veterani cujusdam et exercitatissimi ducis ductu et auspiciis confirmaret. Quum itaque huic Doctori ejusque artibus variis atque multis biennium deditus fuisset, inde revocatus [5]) Marpurgum in Mathematicis studiis publice tradendis curam ponere jubetur, quam provinciam ita suscepit, ut tamen Medicae artis exercitationem nunquam deponeret. Neque certe frustra sese tantis in laboribus exercuit ille, quum laudis et gloriae mercedem, praeter quam aliam nullam virtus ipsa desiderat,

---

1) Nihil insequitur praeter vacuum imaginis locum. Nigidius Richium inter eos habet, qui adhuc superstites alio se contulerunt, eumque abiisse in Italiam ac reversum esse Mundam ad Ericum ducem Brunsvicensem tradit. Pistorius ejus aditum anno 1543, abitum a. 1546 tribuit; illum annum confirmant literae Lutheri ad Philippum principem datae apud Striederum.

2) Sequitur locus imaginis. Apud Nigidium eodem quo Richius loco inter vivos commemoratur. Pistorius eum Carlstadianum Ph. et Jur. D. Poetam et Logicum appellat, adiisse ad academiam a. 1546, discessisse Budingam a. 1550 tradit.

3) Dil. usus est in hac vita describenda *Boissardi* Icon. III, p. 305 sqq.

4) Cod. *in*. 5) Imago Loniceri.

consequutus sit uberrimam. Nam sesquianno vixdum elapso ducta Christiani Egenolphi, qui typographiam Francofurtum invexerat primus, filia Magdalena uno eodemque tempore et nuptias celebrat et Doctoris festos peragit dies, cujusmodi in publicis istiusmodi renunciationibus agitari de more consueverunt. Nec multo post per literas Moguntiam evocatus, ut illic aere publico doceret artem Medicam, eo perrecturus ad socerum divertit Francofurti. Sed enim quum ea forte nocte istius loci Medicus Ludovicus Graphius obiisset, ejus operam Senatus honesto stipendio IV Octobris anno MDLIV conducit. In hoc igitur vitae curriculo, quum XXXII annos ita exegisset, ut omnia sua studia, operam et industriam non solum civibus suis, sed etiam quibuscunque exteris summa emetiretur fide et propterea in amore esset omnibus, anno MDLXXXVI die Maji XIX [1]) finem vitae atque laboris fecit vir praestanti eruditione atque doctrina et rei inprimis Medicae peritissimus. Lucubrationes hominis opera et industria editae sunt ejusmodi: *Introductio Arithmetices Latina: Aphorismi Hippocratis a Foresio* [2]) *explicati: Botanicon et historia plantarum, animantium, gemmarum, metallorum, succorumque concretorum*, et *Herbarius* vernacula lingua. Post obitum autem filii opera Teucridis Annae Priv. [3]) in lucem prodiit *Methodica explicatio omnium corporis humani affectuum*, in qua mira brevitate singulorum morborum caussae et alia traduntur [4]).

Henricus [5]) Theophilus Lonicerus

Vir minime indoctus Physicum, i. e. ut Ciceronis utar verbis lib. I. de nat. Deor. [6]), speculatorem venatoremque naturae agere coepit mense Septembri anno MDLIV, quum Bartholomaeus Mejerus ad Theologorum traductus subsellia isthoc munere abiisset. Sed anno postmodum MDLXIV in disserendi praeceptis explicandis versari et Bibliothecae simul curam habere jussus est Vietore ad Theologicum docendi munus transeunte. Atque huic quidem muneri dum ea, qua par est fide et dexteritate vacat, Decani quoque sexies, Brabeutae autem, qui lauream supremam Philosophiae studiosis decernit, septies sustinuit vices, Reipub. Academicae clavum anno MDXXCII, aetatis XLVI [7]) tenuit. Tandem etiam a Ludovico Landgravio inter consiliarios ascitus in rebus forensibus cognoscendis et judiciis constituendis versatus est. Quod equidem munus cum XIII, operis autem Academici in docenda Logica et Physica functionem ultra XL annos tractasset, postremum rude donatus [8]) in vivis esse desiit IIX Martii anno MDCV. Sub ejus effigie hi P. Pagani versus leguntur:

---

1) Eundem obitus diem Pistorius exhibet; in praefatione libri de purgationibus a filio editi haec leguntur: *Dat. Frf. Anno 1596 d. 29 mensis Maji, stylo Gregor. quo die annis decem ante Auctor hic Medicus — inter aegrotos esse desiit, anno aetatis suae quinquagesimo ferme octavo.* Quae verba Striederum non debebant ad mutandum diem adducere, quum causa discrepantiae e diverso stylo facile cognoscatur. Nigidius Lonicerum inter superstites refert.

2) Sic scripsit Dil. pro *Foesio* Boissardum secutus.

3) *Teucri Annaei Privati* nominibus filius uti solet ipse, cujus propria praenomina erant *Joannes Adamus.*

4) Parvum spatium inter hanc et insequentem vitam vacuum exstat.

5) Sic Dil.; scribendum erat *Heidericus*, qua nominis forma Dil. in Rectorum catalogo et Lonicerus ipse in Albo acad. utitur, s. *Hedericus.*

6) Cic. N. D. I, 30.

7) *Cum jam aetatis suae ageret annum quadragesimum septimum*, L. ipse scripsit in Albo acad.

8) Nigidius eum *nuper rude donatum* esse dicit, unde Pistorius a. 1591 sumsisse videtur.

Naturae solitus tacitos inquirere fontes
Nunc solvit nodos, false Sophista, tuos.
Artibus his dudum nostro Lonicere Lycaeo
Notus eras, animi vivida forma tui. [1])
At nunc pictoris dum te manus exhibet orbi,
Aeternae fies notior usque plagae,
Nobilior donec tollens te fama sub auras
Constituat celebrem juris in arce ducem.

Lazarus Schonerus
Francus. [2])

Hic Philosophus et quidem cum primis Mathematicus [3]) extra omnem ingenii aleam positus Justo Vultejo demortuo [4]) Paedagogiarchae munus curare jubetur, quum antea scholae Hersfeldensi praefuisset Rector. Sed enim cum vix muneris publici partem hanc attigisset, cum non posset eo adduci, ut pristinum docendi in Paedagogio modum retineret, quippe qui esset totus Rameus, locum et munus anno MDLXXIIX cessit Joanni Ferinario et Corbachium digressus primum istius loci scholam constituit, deinde ad Simonem Comitem Lippiensem abiit, ubi quoque per aliquot annos gubernata primaria vitam cum morte commutavit senex anno MDCVII. Herbornae quoque professorem egit circa annum MDXXCVII [5]). Inter ea quae lucubrare ei placuit, extant *opus Astrologicum*, *Institutiones Geometricae* et *in Arithmeticam Rami commentarii*, unde illius in hoc scientiarum genere dexteritatem et copiam aestimare liceat [6]).

Petrus Nigidius Junior

Senioris illius Petri de juventute optime meriti filius quum operam suam in instituenda juventute classica in Marpurgensi Paedagogio collocasset, anno MDLXXV [7]) ad eam Philosophiae partem, in qua de bonis rebus et malis, deque hominum vita et moribus disputatur, publice in Academia docendam authoritate publica a patribus interposita se transtulit et quinquennio post juris non ignarus et legum a Vigelio collegii Jurisconsultorum decreto summis juris utriusque honoribus auctus est sexies Philosophorum [8]) ordinis Decurio et bis Academiae ipsius Rector. Caeterum quum prima vice, id quod in annum incidit MDXXCVII, Reipublicae assideret clavo, Guilielmus Princeps filium suum Mauritium misit Marpurgum, ut ejusdem in Theologicis et Philosophicis studiis explorarentur progressus, quum XV fere aetatis annum complevisset. Atque is quidem prompta et parata in respondendo celeritate examinis praesidum diligentiam

1) Locus imaginis.

2) Quae a Striedero sub ejus nomine XIII, p. 185 sqq. referuntur, eorum supplementum haud exiguum exhibent Add. T. XIV, p. 362 sqq. Nigidius eum inter eos habet, qui adhuc superstites alio se contulerunt.

3) Locus imaginis.

4) D. V. Sept. a. 1575 teste Albo acad.

5) Ex eis, quae Str. attulit, a. 1586 Corbachio, 1588 Herborna discessit.

6) Insequitur parvum spatium vacuum.

7) Per calami, ut videtur, lapsum Dil. hunc annum scripsit pro MDLXV, quem habet Pistorius, et qui convenit cum anno summorum in jure honorum impetratorum, quem MDLXX fuisse ex Annal. acad. patet.

8) Imago Nigidii.

superavit ita, ut admiratione esset omnibus et non in humanioribus modo, lingua scilicet Latina et Graeca, itemque Poësi, sed in gravioribus etiam illis artibus et disciplinis Logicis, Ethicis, Historicis et Theologicis expectationem, quam de se concitarat, sustineret et tueretur egregie. Postmodum anno MDXCV eundem gradum dignitatis et gratiae in Repub. Academica tenuit *Nigidius*. Sed demum quum annos adhuc novem in docendi munere exegisset, viribus corporis fractis anno MDCIII ab Illustriss. Principibus, substituto in illius locum Rudolpho Goclenio Seniore rude donatus obiit senex [1]).

Joannes Ferinarius

Vratislaviensis Silesius [2]) quum in Academia Wittebergensi auspiciis inprimis et ductu magni illius Philippi Melanchtonis, cui famulari grave non duxit, doctrina et optimarum artium studiis eruditus, summam in Philosophia lauream consequutus esset, Brigam ad [3]) constituendam scholam evocatur. Sed enim quum propter religionis studium istius loci Theologi lacerarent hominem et quam colligere is cupiebat, Ducis Brigensis exulcerarent gratiam, dimissus rursus Marpurgum P. P. jussu evocatur, ut Pagani fungatur munere. Quum itaque XIIX Octob. anno MDLXXVI huc cum familia appulisset, XIII die Januarii anno DLXXVII oratione de cruenta Solymanni rabie ejusque successu terribili habita, postero die Carionis Chronicon a Melanchtone auctum interpretari coepit. Hinc sequenti anno Dominica, cui Ecclesia vetus nomen fecit Invocavit, ab eo, qui vices sustinebat Cancellarii, discipulorum coetui commendatus paedagogiarchae munus iniit, eique XXIV annos praefuit bis Rectoris, semel Decani munere interea temporis perfunctus. Mortuus autem est ultimo Novembris die anno MDCII, quum docuisset in Academia publice XXVI annos.

Otho Gualperius. [4])

Gualperium Hessum tulit Roteburgum ad Fuldam [5]) oppidum. Caeteroquin quum institutus optime, perfecte planeque eruditus esset, Academia ejusdem potissimum opera, quum isthoc docendi munere anno MDXXCI abiisset Hermannus Vultejus, in Graecis primum et postmodum etiam in Hebraeis [6]) literis explicandis uti voluit. Atque sic quidem, quum inter Philosophicae facultatis proceres bis Decani munus peregisset a Lubecensi Republica anno MDXCIII ad urbis scholam gubernandam avocatus Academiae huic valedixit et Lubecam decessit [7]).

---

1) Pistorius eum d. XVIII. Jul. 1606 obiisse tradit. — Sequitur, ut in omnibus fere vitis, quibus versus appositi non sunt, parvum spatium vacuum.

2) Cod. *Silesios*. — De patria Silesia omnes consentiunt, locum natalem alii alium afferunt; cf. Strieder IV, p. 85 sq.

3) Imago Ferinarii.

4) Sic Dil.; scribendum erat *Gualtperius*.

5) Imago Gualtperii.

6) Cod. *Hebracis*, quod aut in *Hebraicis* aut in *Hebraeis* mutandum.

7) Ubi mortuus est a. 1624.

Rodolphus Goclenius
Senior.

Ex iis, qui hodie inter viros doctos familiam ducunt, eminet vel praecipue hic, qui non unam aliquam Philosophiae partem, in qua elaboraret, seposuit sibi, sed omnium rerum scientiam natura non repugnante complexus, omnia in Theologicis, Philosophicis, Philologicis, Mathematicis et Poëticis studiis tulit puncta universi propemodum Aonii in Germania coetus praeceptor explanandi et disserendi genere mirabilis. Huic Corbachium Waldecciorum patria est; at Witteberga eundem doctrinis omnibus expolivit et hominem reddidit, Cassellae autem excepere primum, ubi ludi literarii Rector operam in erudienda juventute posuit aliquandiu acerrimam [1]). Postmodum in Sascheri [2]) locum evocatus Marpurgum anno MDXXCI eam Philosophiae partem tradere coepit publice, quae rerum naturalium caussas edisserit, ipsum docendi munus ab oratione de Physices praestantia et utilitate orsus, et post Senatus Academici jussu ac voluntate operam in disserendi arte explicanda interposuit. Docuit etiam extra ordinem Sphaeram et Arithmeticam, ejusque domus omnibus extra publicas horas non aliter atque ludus quidam et officina Philosophiae patuit semper, ex qua tanquam ex equo Trojano innumeri docti viri prodierunt. Certe XXXV annorum spacio praeter eos, quibus primam Philosophiae lauream tribuit, ultra DC sua manu Magistrorum impertivit honoribus, vir inexhausti plane laboris, ita ut ejusdem assiduitas et in erudienda juventute contentio, ne ipso quidem aetatis flexu consistere ulla ratione quiverit. Officium et partes Decani inter Philosophos usurpavit octies et Reipubl. Academicae praefuit cum imperio Rector anno MDCXI eo quidem tempore, quo pestis Marpurgum immensum grassata mille ducentos plus minus et inter eos Valentinum Schonerum loci et circumjacentis Dioeceseos episcopum, quem Superatendentem vocant vulgo, sustulit, ut se propterea [3]) Academia Francobergam recipere cogeretur. Caeterum a Logicis subtilitatibus, Petro Nigidio Juniore anno DCIII rude donato, ad eam doctrinae partem, quae in moribus conformandis versatur, explicandam operam transtulit et studium, quam totius vitae cursu summa cura et non minori audientium, in quorum animis cum delectatione etiam relinquere consuevit aculeos, attentione atque stupore pertractavit et insuper, ne quicquam omitteret eorum, quae commodum rei literariae spectare ullo modo videbantur, quotannis libros omnis liberalis eruditionis varietate atque copia refertos et industriae atque laboris indices emisit, in quibus enitent vel praecipue *Lexicon philosophicum: Conciliator: Isagoge in Organon Aristotelis: Problemata Logica* aliquot voluminibus comprehensa: *Institutiones Logicae: Controversiae Philosophicae: Adversaria ad exotericas aliquot exercitationes Scaligeri: Cosmographia seu Sphaera, Physica, Metaphysica,* et *orationes* atque *poëmata* aliquam multa, diversis vicibus elucubrata et edita [4]). Postremo, ut illa quoque laudis et gloriae parte frueretur, inter alios ad Dordrechtanam synodum grandaevus quidem et LXXIII annorum homo [5]), sed viridi comprimis senecta et integris viribus mittebatur [6]). Hujus viri de Philosophia divina juxta atque humana optime meriti honori et gratiis isthaec Eglinus

1) Cf. *Weber* Gesch. d. städt. Gelehrtenschule zu Cassel. p. 58 sqq.

2) Hunc in medicorum numero habet Dil.

3) Goclenii imago.

4) Index scriptorum ab eo editorum quinquaginta quatuor paginas libri Striederiani implet, quibus multa accedunt in addendis.

5) Natus erat Kal. Mart. a. 1547, ita ut Dordrechtanae synodi tempore a. 1619 eum, quem Dil. indicat, aetatis annum assecutus esset.

6) Sequitur duorum versuum et dimidii spatium aliis rebus addendis destinatum, quum post hunc librum absolutum a. 1628 Goclenius obierit.

Clarior et toto quo nemo peritior orbe,
Quem natura stupet, Momus et ipse Sophon,
Doctorum Doctor, Senior Goclenius ore
Haud alio e cathedra disputat Hassiaca.

et Jacobus Thysius:

Quis iste vultu tam decente, tam cato,
Qui se per[1]) *fert sublime Semonum,*
Sophia quem fatetur ipsa Principem
OCELLUS RODOPAE IGNEUS.[2])

Ocellus explorator ille acerrimus
Rerum abditarum, quas Sol omnium videt
Verique amator, cognitorque numinis
Stoae Cattigenum decus.

Quem se Cothurni venditans sub schemate
Sibique plaudens aequa nulli Inscitia
Rodopes adorsa nuper est de vertice
Turpe! praecipitem dare.

Stetit sed iste vultu ocellus arduo,
Minerva qualis Gorgonis scuto ferox.
At strata per caput pedesque bellua
Furcillis agitur foras.

Joannes Magirus

Fridslariensis a Philosophia et Medicina instructissimus anno MDXXCV Januarii XVII supremam in arte illa Apollinea lauream D. Joannis Wolffii auspiciis consecutus, postea circa annum MDXC[3]) muneris publici partem in Academia attigit illam, quae in investigandis rerum naturalium caussis occupatur, Decanique curavit munus anno DXCIII. Atque hunc quidem patre defuncto tutores iis jam artibus imbutum, quibus ad majora veniret paratior, ab hoc vitae genere abstractum eo jam adegerant, ut mercaturam sectaretur et lanificium. Sed quum fortuna primo non responderet labori et rei gerendae[4]) displiceret modus, ad studia interrupta reversus id indefessa effecit opera, ut non Medica solum arte, sed Philosophia etiam et omni adeo literarum genere praestaret, id quod vel abunde perspicere est e *Physica* illa *Peripatetica,* quae ex Aristotele ejusque interpretibus multo sudore collecta, et commentariis aucta omnium manibus teritur, ea collocationis specie, ut si quis eam retexere cupiat, quasi Phidiae clypeum dissolvere videatur. Atque licet is quidem optima aetatis parte die XXIIX[5]) Augusti anno MDXCVI dysenteria extinctus obierit, tamen quia perfectae virtutis et doctrinae perfecto functus est munere, non parum diu vixisse putabitur iis, qui vitam ipsam non annorum numero, sed perenni exacti curriculi laude et gloria metiuntur.

---

1) Deest substantivum.
2) Anagramma nominis.
3) A. 1591 hoc factum esse, ex Albo acad. patet.
4) Imago Magiri.
5) Pistorius d. XXII habet, qui dies confirmatur Albo acad.

Hieronymus Treutlerus

Suidnicensis Silesius quum nequaquam elinguis Juris Civilis intelligentia et omni prudentiae genere praestaret, anno MDXC Januarii XXIX publicum eruditionis in U. J. a Vigelio cepit testimonium et lauream, atque eodem anno [1]), quum Philippus Matthaeus provincia, quam in dicendi arte explicanda sustinuerat, decederet, in hanc muneris publici partem toto animo et omni studio incubuit, ut ejus potissimum [2]) opera appareret, quantam vim habeat accurata et facta quodam modo oratio. Sed biennio post locum mutavit ad [3]) munus Syndici urbis Budissinae in Silesia partes peragendas evocatus, quamvis nec illic diu admodum substiterit. Nam Imperator virum abundanti doctrina et incredibili quadam varietate atque copia in perspiciendis rationibus constituendae et regendae Reipub. oculatissimum maximis propositis praemiis vel ad gratiam vel ad opes vel ad dignitatem, ut consiliarii obiret munus, invitatum et nobilitatis jure donatum, primum ex novis hominibus, qui id decus eruditione promeruerunt, amplissimo honore affecit. Caeterum quantum ingenio valuerit et studio, constituere poterit quilibet, si *disputationes e justinianeis Institutionibus* accuratissime conscriptas et *Systema Rhetoricum* in Academia Marpurgensi eloquentiae studiosis propositum, ac postmodum aliorum opera editum vel limis, quod ajunt, oculis introspexerit. Nam hinc veluti e crepundiis et naevo aliquo, non vero corpore omni, hominem cognoscere licebit [4]).

Hermannus Petrus Nigidius

Marpurgensis J. U. adeptus honores summos Anno MDXC Januarii XXIX in Treutleri locum in Silesiam abeuntis cooptatus eloquentiam probabili industria docuit, bis Decanus, et tandem etiam Syndici partes anno DCIV clavibus traditis tueri jussus [5]). Sed enim quum postmodum anno DCIIX festivitati, qua nova Giessensis Academia inaugurabatur, interfuisset, Princeps indignatus eundem a munere et negotiis Academicis removit. Ideoque paulo post Giessam profectus aliquot annos istic in docendo operam posuit, et naturae tandem concessit ibidem [6]).

Christophorus Cramerus

Allendorffii in Salinis natus multis literis iisque reconditis et exquisitis anno MDXCIII partes linguae Graecae interpretandae sibi sumpsit, quum Gualperius Marpurgo Lubecam demigrasset. Sed vix biennio elapso, quum in numerum Theologorum [7]) non ita pridem allectus fuisset, dysenteria correptus et a Deo Opt. Max. cum conjuge e vita tanquam custodia et vinculis evocatus, in aeternam et plane nostram in domum remigrat, vir omnibus rebus ornatus et elegans, qui nemini si vel ingenium vel eruditionem spectes cessurus videbatur, modo eidem diuturnioris vitae contigisset usura. Verum

Mista senum ac juvenum densantur funera, nullum [8])
Saeva caput Proserpina fugit.

---

1) Immo d. XII Maji a. 1591 secundum Album acad. — Tr. discessit Cal. Jan. a. 1594, Herm. Petro Nigidio in ejus locum suffecto.

2) Imago Treutleri. 3) Cod. *ac* manifesto errore.

4) Mortuus est Budissae a. 1607, quadraginta duos annos natus.

5) Imago Nigidii.

6) Mortuus est Hermannus Petrus Nigidius, Petri junioris filius, Pistorio teste Giessae d. XXVIII Jan. 1616.

7) Quare Theologorum vitis a Tilemanno insertus est p. 178.

8) Imago Crameri.

Theodorus Vietor[1])
Lichensis.

Hic Christiano Vietore et Catharina Stoplerin parentibus optimis ad annum Christi MDLXVII natus et in pietate et literis praeclare institutus est. Hinc quo anno supremam Philosophiae lauream Marpurgi impetravit, eodem etiam, nimirum MDXXCV, e patria Cassellas evocatus juventuti liberalibus artibus instituendae in schola illa tum celebri Cassellana annos undecim operam dedit, Conrectoris munere suscepto. Postmodum anno MDXCV a Crameri obitu hanc principum et Academiae patrum consensu sumpsit operam, ut Graecas literas, quibus omnium doctrinarum debetur inventio, doceret in Academia publice. Quam suam provinciam annos multos cum laude sustinuit, in eaque optimos quosque Graecos authores, praecipue vero Isocratem et, cujus lectione se summopere oblectabat, Homerum fere integrum perspicue explicavit, cujus et Odysseam Latino heroico carmine ad vivum expressit. Testantur autem ejus in Lingua Graeca docenda fidem etiamnum extantes lucubrationes, ut *in* insignem *Platonis Dialogum,* qui *Euthyphr.* vel *de Sanctitate* inscribitur, *notae:* et in aureum *Plutarchi*[2]) libellum *de educatione liberorum diversae paraphrases et Analyses* editae. Prostat et *Examen* ejus *Rhetoricum* perpetua authorum propemodum omnium, qui in Rhetoricam Talaei[3]) scripserunt, collatione, anno MDXCVII accurate expositum. Anno praeterea DCIII post Ferinarii excessum, principali mandato Paedagogeo quoque praefectus et ab Hartmanno, qui tum temporis Rectoris fungebatur munere, publice renunciatus est homo, cui nescias majorne doctrinae atque ingenii, an vero humanitatis laus tribuenda sit. Nam de industria in instituenda aetate juvenili et acerrimo ejus studio hic quidem dicere nil attinet. Opera ipsa et labor indefessus, quem in infinitis propemodum viris doctis quasi manu fingendis tot annos posuit, istius rei sunt gnomon atque regula non secus ac motus ipse indicat, didiceritne aliquis palaestram an nesciat. Caeteroquin praeter Rectoris munus, quo anno MDCXV laudabiliter defunctus est, etiam vices Rectoris Crucigero in Dordrechtana synodo absente per menses fere novem probe sustinuit[4]), et collegii Philosophici Decurionem egit quater, anno videlicet MDXCVII, quo pestis saevitia Academia penitus dissipata fuit, DCV, DCX et denique DCXVI[5]). Sub ipsius effigie Eglinus

Est Vietor vere Theodorus nomine reque,
Quam typus iste refert, vir pietate gravis,
Gymnasii Rector, linguae Graecaeque Professor
Artibus excultus Theologusque bonus.

Christophorus Muldnerus

Spangenbergensis[6]), Medicinae Doctor, Majiri labores ab ejusdem obitu anno MDXCVI in rerum naturalium reconditis sane atque abditis caussis exquirendis et explicandis[7]) excepit. At anno tertio post, undecimo Januarii et munus et vitam reliquit, cujus partes suscepit Nicolaus Bruno.

1) Cf. praeter Striederum *Weber* Gesch. d. städt. Gelehrtenschule zu Cassel p. 90 sq.

2) Imago Vietoris.

3) Audomarus Talaeus (Omer Talon), mortuus Parisiis a. 1562, praeter alia scripsit Institutiones oratorias s. Rhetoricam, P. Rami vestigiis insistens, cujus libri usque ad finem saeculi XVI frequentissimus erat usus.

4) Cruciger Rectoris munere functus est annis 1618 et 1619.

5) Parvum spatium vacuum sequitur. — A. 1639 Vietor munere se abdicavit, mortuus est Pistorio auctore a. 1644, Striedero teste, qui oratione funebri in eum habita usus est, a. 1645.

6) Pistorius et Strieder eum Cassellanum dicunt. 7) Locus imaginis.

Hermannus Kirchnerus

Hersfeldia oriundus, quum humanioribus in artibus et literarum varietate versatus esset maxime et versus hexametros aliosque variis modis atque numeris funderet ex tempore, id meruit, ut in comitiis Ratisponensibus anno MDXCIV ab Imperatore Augustissimo D. Rudolpho ejus nominis II laurea donaretur. Atque hinc ad Poësin explicandam evocatus IIX Martii extra ordinem docere jubetur. At vero postea anno DCIII Principis ipsius authoritate et jussu inter ordinarios ejus loci Professores constitutus, cum Poësi conjunxit historias easque pari opera tradidit publice Syndici etiam Academiae partibus susceptis. Decanum egit anno DCVI, quo orationem habuit *de ruinis et Disputationibus* [1]) *Academiarum*, vir certe omni liberali doctrina perquam excultus atque expolitus, Poëta, Orator et Historicus non unus e multis, sed potius inter multos prope singularis, qui non solum de quovis argumento solute et suaviter dicere consueverat, verum etiam id quod dicere constituerat, voce, vultu motuque efficiebat quodammodo conditius. Fuerat praeterea viro magna civilis sapientiae et [2]) Juris Utriusque cognitio, ut propterea et jurisperitorum videretur eloquentissimus et eloquentium juris peritissimus. Sed enim ut hoc naturae munus quicquid datur nobis, incertum est et fragile, adde etiam malignum et breve in iis, quibus vel largissime contigit, ita et huic accidit homini, ut anno MDCXIV melancholia conflictari inciperet, et sese hinc clanculum ad viduam Principem Hennebergensem proriperet, quae eundem sui deinceps minus compotem, ut et Academia usque ad annum DCXX, quo in vivis esse desiit, vovit omnino liberalissime. Egregiae eruditionis eximia monumenta haec reliquit: *Legatum*, *Jureconsultum*, *Systema disputationum politicarum* et *orationes* aliquam multas [3]). Eglinus:

Gratiae [4]) *facundae Kirchneri et copia Musae*
Quos non attraxit (livor abesto) viros?
Syndicus hoc vultu fuit. Huic et Jureperito
Imposuit laurum Caesaris ipsa manus.

Rodolphus Goclenius
Junior

Optimi et doctissimi patris Rodolphi Goclenii Senioris γνήσιος filius nascitur Wittebergae anno MDLXXII. Sed quum acri satis esset ingenio, doctrina liberaliter in Hassiae Gymnasiis institutus et in exteris etiam Academiis Hafniensi Daniae et Patavina Italiae rerum imbutus usu honoris in arte Medica summi consequitur insignia XIX Maji anno MDCI opera Pauli Cellarii tanquam Brabeutae interposita [5]) et Physices suscepta cura in Professorum recipitur ordinem anno DCIIX. At enim quadriennio [6]) post, quum Hoffmannus Jenam discederet, curam in Mathematicas disciplinas derivavit, rebus iis, quae in philosophia versantur naturali Combachio relictis. Tandem II [7]) Martii anno DCXXI cum octiduum ardenti conflictatus esset febri,

1) Sic Dil. ridiculo errore pro *dissipationibus*.
2) Kirchneri imago.
3) Multo plures scriptorum, inprimis poeticorum tituli exstant apud Striederum.
4) Sic Dil.; scribendum videtur *Gratia*.
5) Artium Magistri honorem adeptus erat a. 1591 Striedero teste.
6) Imago Goclenii.
7) Eundem diem habet Pistorius, tertium Martii Strieder.

viam calcavit, ut cum Horatio loqui mihi liceat, praematura sane extinctus morte, utpote nondum quinquagenarius. Sed ita est:

Vitae summa brevis spem nos vetat inchoare longam.

In Goclenii hujus effigiem Eglinus

Junior excellens Goclenius arte medendi,
In Physicis multos, inque Mathematicis
Erudiit: scriptis insignis: nuper ademptus
In coelo, in natis victitat, inque libris. [1])

Catharinus Dulcis
Allobrox [2])

Crusiliae Allobrogum anno a Christo nato MDXL nobilibus parentibus Joanne Dulci et Magdalena Nerga satus est. Puerilis doctrinae in Anneciacensi primum Athenaeo posuit initia, eadem subtiliori deinceps cognitione ac ratione literarum et exercitationibus assiduis in Argentinensi Lyceo aluit eo quidem studio, ut non solum Sturmii aliorumque doctissimorum virorum demereretur amorem, verum etiam quod ad artium disciplinam, tanquam ad saxum aliquod, adhaeresceret acrius, vix mentis esse suae videretur. Ideoque ut coelum ipsum et vitae genus quodammodo mutaret, magnam Germaniae partem cum Ortenburgico Comite Ernesto peragravit et quum ejusdem deinceps commendatione ad Philiberti Badensis Marchionis familiam trajecisset, eidem inter nobiles pueros, qui e Principum consuerunt esse paedagogeis, inserviit aliquandiu et ab eodem ad Wirtenbergicum Ducem Christophorum eidemque homonymum Electoris Palatini filium juniorem se transtulit, qui id demum sua authoritate apud Senarpontii in Picardia reguli filios tum temporis Heidelbergae degentes effecit, ut *Catharinum* [3]) itineris per Gallias et Italiam in omnes casus complecterentur comitem. At enim degustata illa peregrinationum dulcedine ita exarsit, ut pelago sese committere et Constantinopolim ipsam adire et hinc Thessalonicam petere nequaquam dubitaret. Sed quum in reditu illustriores maris Aegaei insulas praetervectus et tempestate jactatus cum sociis ad Samum appelleret forte, ad transtra in triremibus Turcicis damnatur, et aliquot inibi septimanas detinetur: liberatur tamen inde singulari Dei misericordia et Cantinerii inprimis Regio Oratori Gallico ad Portam Ottomanicam a Secretis opera. Caeterum emeritis aliquot mensium in Creta insula stipendiis quum nec hic hominem quiescere sivisset exterarum nationum lustrandarum ardor, Alexandriam equidem Aegypti petiit. Sed tamen quum expenderet simul ulterioris navigationis et pericula et sumptus, Palaestinae ac Syriae littora radens Famagustam Cypri appulit, atque Nicosiam regni metropolim profectus apud Antonium de Avila summum militiae Ducem atque magistratum, quem Connestabilem dicunt vulgo, et Livium Podocatharum primi nominis Baronem tredecim menses haesit et transferendis in Italicam linguam privilegiis, quae Gallico idiomate exoleto prorsus a

1) Haud parvus librorum ad medicam maxime artem spectantium index a Striedero affertur, in quibus chiromantiae, astrologiae, magneticae sympatheticaeque curationi primariae fere partes tribuuntur. Sic ad inaugurandum professoris munus a. 1608 orationem habuit, *qua defenditur vulnus non applicato etiam remedio citra ullum dolorem curari naturaliter posse, si instrumentum tantum vel telum quod sauciavit seu quo vulnus est inflictum, peculiari unguento inunctum obligetur.*

2) Dil. hanc uberiorem narrationem hausisse patet e libello ab ipso Dulci composito, quem inscripsit: Catharini Dulcis linguarum exoticarum in Academia Marpurgensi professoris vitae curriculi breviarium. Marp. Catt. 1622. 12.

3) Imago Dulcis.

Regibus Gallis acceperant, Palaeologorum, Justinianorum et Syncriticorum Regulorum inivit gratiam. At enim quum turbulentissimam belli Turcici tempestatem Cypro impendere praesagiret animus, Alexandro a Schulenburg et Christophoro Furero Noribergensi, qui Aegypto, Arabia et Syria perlustratis eo forte pervenerant, comitatus in Italiam rediit et quum aliquandiu Venetiis substitisset atque Patavii, Viennam contendit. Verum ne quoquo modo elanguesceret in ocio animus, repetito itinere, quum Hungariae locis peragratis vix esset ingressus Moraviam in praedones incidit, a quibus equo, pecunia et vestibus dispoliatus Strasnicii occurrit forte Domino. Atque hic quidem *Catharinum* liberaliter habitum vestibus juvit rursus et pecunia, qui porro exinde Vratislaviam Silesiae metropolim profectus cum Nicolao Rhedingero et Jacobo atque Petro Monaviis Wittebergam concessit, ibidemque Peucero salutato ad Alexandrum a Schulenburg, quem in reditu e Cypro itineris comitem habuerat, abiit. Hujus opera sublevatus in Poloniam se contulit et apud Christophorum Razevilium Olicae Ducem aliquandiu substitit. Sed enim quum in Sueciam navigare cuperet, naufragus mutata itineris ratione per Cassubos, Pomeranos, Megapolitanos, Holsatos parvo admodum maris trajectu Hafniam pervenit et acceptis ibidem a Danzaeo legato Regio ad Galliae Regem literis in Galliam reversus Petri potissimum Pithoei et Petri Rami suasu Regulis quibusdam e Mesancheriorum et Dominorum de la Chauuiniere in Pictonibus familia praefectus est, ut eos non aliter atque apud Homerum Phoenix Achillem, oratores efficeret verborum et actores rerum. Ideoque illos ipsos et ad Marpurgense Panathenaeum primum et Lipsiensem et Wittebergensem Academiam postmodum adduxit. Verum quum jam dissipata esset passim de laniena illa Gallica, quae anno MDLXXII circa Bartholomaei festum in nuptiis Henrici tum quidem Navarreni, sed Galliarum postea regis fortissimi, coepit Parisiis, fama, discipulis aliorum fidei creditis et in Angliam primum et postmodum per medios hostes Rupellam proficiscitur, ut suorum parenteis, qui isthuc velut in locum tutissimum confugerant, de filiorum valetudine ac conditione edoceret coram. Atque hinc porro quum rediisset et e discipulis majorem natu in Regis Henrici III tum temporis in Poloniam ad regnum capessendum abeuntis comitatu reliquisset, reliquos Heidelbergam et inde Donelli consilio Basileam abduxit. Sed enim quum Amerbachii et Sultzeri suasu propter certas causas locum ipsum mutandum duceret, Tigurum concessit inibique hospitii jure cum Simlero contracto, Bullingero inprimis, Lavathero, Gualtero et Stuckio usus est familiariter. Caeteroquin cum nec illic veluti ad scopulos adhaerescendum putaret sibi et suis, perlustratis nobilioribus Germaniae locis in Belgium et exinde in Angliam contendit, confectoque hoc ex animi sententia itinere navibus regiis in Galliam revectus ab adolescentum ipsorum parentibus exoratur, ut qua illos fide et cura per Germaniam, Belgium et Angliam adduxisset, eadem etiam per Italiam comitaretur. Quocirca quum ex itinere Genevam et quae inde non procul distat, Crusiliam deflexisset, parentesque suos istic salutasset, superatis Alpibus Galliam Cisalpinam utramque peragravit. Post Apenninum transcendens Florentiam et Senas adiit, ubi aliquandiu commoratus Romam perrexit et Neapolim. Sed insidias ut caveret, monitus Pisas cum suis navigat, atque inde per Liguriam et Galliae Narbonensis myricas et urbes itinere ubique latronibus passim atque militibus vias insidentibus infesto, non sine magno sumptu, at labore et periculo majore Montem Albanum devenit tandem. Hic itaque collectis rursus viribus et diplomatibus a militiae istis in locis Ducibus magno emtis instructus Rupellam, quo recrudescentibus passim in Gallia post Henrici e Polonia reditum bellicis motibus parentes confugerant, denuo suos reduxit, atque pro navata opera laudatus magis quam ditatus nomen dedit militiae, pro communi Evangelicorum caussa susceptae, et terra marique passus omnino multa Navarrei etiam aulam aliquandiu sequitur. Sed postea studio et consilio magni illius Noaei Monferantii et Jarnaci

primariorum in Aquitania Regulorum liberis praefectus eosdem Lutetiam adduxit Parisiorum, ubi etiam eo degit usque, donec Henricus III omnes eos, qui Romanam non amplecterentur religionem, Galliae finibus excedere juberet [1]). Tum enim parentum curae relictis discipulis in Sabaudiam regressus suorum consilio Caspardinam Chisseam duxit uxorem. Verum enim vero exorto non multo post in Sabaudia bello, quum in patriae urbis direptione vix seminudus impias militum manus effugisset, Noribergam profectus a Christophoro Furero in Hungariam ad Buthianum mittitur, ut filii mores et peregrinationes moderaretur. Sed quum propter Buthiani senioris obitum spe excidisset, Tursis fratribus Ungaris, itemque Michaeli Teufelio Baroni Austriaco in docenda lingua Gallica operam navavit. Exin Joannis Lewenclavii opera et consilio tribus Baronibus a Sonneberg praefectus Meseritium petit, ibique quum otio abundaret Gundtackerum et Maximilianum Barones a Lichtenstein cum Tieffenbachio et Walstenio in lingua instituit Italica [2]). At vero cum stolidi et pervicacis paedagogi, qui Sonnebergiis adjunctus fuerat pariter, ferre non posset mores, locum mutavit et Pragam profectus Proregis filium Joachimum Huldericum de nova domo itemque Guilielmum Sclavatam [3]) XXX menses exoticis iisque variis linguis erudiit, uti etiam succisivis horis Schunanbergium [4]), Grayum, Hoffmannum et Freibergium Barones una cum Theodoro Sixto ab Ottendorff. Porro hinc dimissum *Catharinum* Petrus Wock Ursinus Princeps et Rosenbergicae domus gubernator excipit eumque sibi a consiliis esse jubet. Sed enim quum propter fidelia quaedam eaque liberiora prorsus consilia se apud Jovem Ratschinum delatum intellexisset, ejusdem iram metuens et fulmen, solum vertit, et Wittebergam profectus tam publice pro cathedra, quam privatim intra domesticos parietes linguam Gallicam et Italicam non sine favore et gratia hominum istius loci doctissimorum, itemque juventutis literariae applausu et emolumento docuit. At vero quum se quibusdam ob religionis studium infestum cerneret nimium, in Angliam trajecit et praelustres cumprimis illius loci foeminas Luciam comitem de Bethfort ejusque sororem Franciscam Haringthoniam variis in linguis instituit. Caeteroquin cum Esseccio innotuisset hominis industria Comiti, ab eodem ad Scotiae Regem mittitur, rebusque quarum praecipue gratia venerat, constitutis Londinum reversus Zerotinio regionem istam perlustranti operam addixit. Ideoque hunc herum suum per Belgium comitatus, quum is incredibili quodam patriae amore flagraret, ac propterea Moraviam dispositis hinc inde equis repeteret, eundem cum reliqua familia, cujus jussus fuerat gerere curam, subsequitur. Sed enim quum animadverteret se ad juveniles heri impetus propter corporis molem et aetatem ingravescentem non perinde fore accommodum, dimissione aegre impetrata Davide Ungnadio rerum bellicarum in Ungaria praeside authore Ladislai Poppelii et Caroli a Wartenberg filios Barones Tubingam adductos in Illustriss. Wirtenbergensium Principum collegio historiarum et linguarum cognitione imbuit, simulque Illustriss. Collegii

---

1) Dulcis ipse l. l. haec affert: *Magnitudo periculi fecit, ut Catharinus Bironium Brioniumque, Cabotum et Dominum de la Chastre (qui omnes plurimum apud Regem poterant, et arctissima affinitate suos Dominos attingebant) adiret, ac ipsorum consilia pro salute suorum dominorum expeteret, sed cum propter sacram illam ligandam ligam, seu omnium contra Hugonotos conjurationem ipsis non satis credendum putaret, Deo meliora consilia suggerente, parentibus filios, suae fidei concredita pretiosissima pignora reddidit. Et sibi ipsi metuens, quod ipse Mareschallus Bironius senior ad Catharini dominos dicere soleret, Deum non amplius esse Hugonottum, sed velle, ut omnes ad Missam compellerentur, in Sabaudiam revenit, ac Parentum suasu Caspardinam ex nobilissima de Chisse familia uxorem duxit.*

2) Quae verbis *ibique* — *Italica* Dil. narrat, non exstant in vita ab ipso Cath. Dulci conscripta.

3) Sic Dil.; Dulcis ipse *Slavatam.*

4) Sic Dil.; Dulcis *Schwambergium.*

Praesidi Joanni Friderico ac aliis etiam Principibus, Adolpho nimirum Holsatiae Duci et Augusto Neoburgensi Palatino, nec non inclyto Baroni Carolo Jörger operam suam in institutione linguarum exoticarum probavit. Tandem cum Poppelius domum revocaretur, hic quidem Augustam Vindelicorum secedens, Carolo Fuggero aliisque operam locavit in docendo suam. Atque eorum subsidiis adjutus, quum certam tandem rerum studiorumque sedem, ubi religionem profiteri liceret liberius, quaereret, commodum a Mauritio Hess. Landgravio evocatur Cassellas, ut inibi linguas doceret exoticas. Huic igitur vocationi clementissimae obsequutus isthic sub initium MDCII anni in illustri Mauritiano [1]) profiteri coepit linguas, et anno proximo X Junii cum Christophori Lersneri J. C. et in Marpurgensi Academia olim Professoris filia solenni ritu in arce Cassellana nuptias celebravit. Postremo ad uberiorem quasi culturam Marpurgum missus XXIV Augusti anno MDCV oratione publice in Lani collegio de sua in hanc Academiam vocatione habita, linguas exoticas publice et privatim docere instituit, vir non solum uti Ulysses ille Homericus *πολύμητις*, qui *πολλὰ πάθεν ἄλγεα*, sed etiam *πολύγλωσσος*. Sic itaque otium nactus, quod negotiis publicis supererat tempus, id *Comoediis* et *Dialogis* [2]) aliquot partim componendis, partim vertendis aut etiam emendandis et *Scholae Italicae* multoties variis in locis editae atque in ipsa Italia collaudatae retexendae impendit. Quibus Jacobus Thysius asscripsit:

Victores rerum Domini, retulere subactis
Gazas superbas gentibus quamplurimis.
Ponderaque ignoti argenti fulvique metalli
Tellusve quicquid hospita educat sinu.
His bene re gesta reduces se ostendere Romae
Dis patriis gratoque honore supplices,
Herculis ad postem soliti sive Jovis ad aram
Spoliorum opima consecrare segmina.
Quid tu chare meos inter pars prima sodales,
Quasnam solo coeloque abactas undique,
Italia procul Herculeo sudore redemptas
Et Gallia, lauru revinctus tempora:
Succedens Cattûm tandem bone finibus hospes,
Cui dedicas opes triumpho splendidas?
Ausus es Ausoniae doctas penetrare tabernas,
Haurire totam et Hippocrenen Galliae,
Non humiles quaerens Apinas Diomedis honores,
Quas vulgus aut iners hiat cupidines:
Sed queis par Superis Mithridates audiit olim,
Linguarum amanda cuilibet Mysteria.
Queis hominum quo quis magis est excultus, eodem
Trahit recessu pectoris prudentiam.
Suscipite Heroum filI duo lumina secli
Uterque patris maximi spes maxima,
Quas Dulcis schola dat dulces ante omnia Musas
Dulcique vobis dulce fit frui bono.
Dulichias licet ire vias, haec fila secutis
Vobis iter patebit orbis qualibet.

1) De Mauritiano cf. Theod. *Hartwig*, die Hofschule zu Cassel unter Landgraf Moritz dem Gelehrten. Marb. 1864. (Hersfeld 1865.) 8. p. 15 sqq.

2) Comoediae duae Eunuchus Terentii in Aethiopissam mutatus et Amintas Torquati Tassi cum Dialogis insunt in altera Scholae Italicae parte, Francofurti a. 1605 primum editae, postea saepius repetitae.

Ejus iconi vero haec Eglinus

Hac Catharinus erat spectandus imagine Dulcis
Lustra bis octo implens Cosmopila[1]) *senex,*
Linguarum vario variarum idiomate clarus,
Hassiacae lumen dulce decusque scholae.[2])

Henricus Hoffmannus

Jenae Duringorum patre natus rerum, quae Mathematicis tractantur disciplinis, illic professore, totum se iisdem artibus tradidit, quum isthoc praecipue flagraret studio et natura adjuvaretur plurimum. Ideoque cum in hoc disciplinarum genere excelleret, in aula primum Cassellana Mathematici partes sustinuit[3]). At vero quum Hartmannus ad omnem vim varietatemque[4]) Chymiatriae explicandam traductus esset, hic potissimum Principis judicio et Academiae patrum cura adhibitus est, qui Mathemata Marpurgi extra ordinem doceret. Sed enim quum anno MDCXII a Jenensi Academia ad eadem studia tractanda accerseretur, isthuc Principis permissu concessit. Nec viva solum in utroque Lycaeo hasce disciplinas docuit voce, sed scriptis etiam propagavit et lucubrationibus easdem, cujusmodi sunt *libellus de Octante*:[5])

Joannes Combachius

Non plebeius aliquis philosophus, sed in divinarum juxta atque humanarum artium liberalissimis studiis atque doctrinis ita versatus, ut infinitam pene illarum vim et materiam scientia comprehenderit ac cognitione, Wetteris natus anno a nato Christo MDXXCV quinto Decemb. die a meridie inter II et III et in patriis primum, post etiam in exteris Gymnasiis subtilius eruditus, quae oratorum philologorum et historicorum myrotheciis, itemque Aristotelis, Peripateticorum et Scholasticorum, Petri Rami etiam articulis continentur, quasi in visceribus condidit ac medullis. Atque hoc quidem animi cultu ceu quodam humanitatis cibo ad necessaria magis et graviora SS. Theologiae studia defluxit, ut in rebus ad salutem aeternam[6]) attinentibus ab animo tanquam ab oculis divina aspirante gratia depelleret caliginem et de iis ipsis erudire posset atque Christo lucrari alios, eo sane progressus, ut in hoc studiorum genere Licentiae, quam appellant, dignitatem obtinuerit. Caeteroquin is quidem primum anno MDCX Jul. XIV extra ordinem, (quod ordinarius locus non vacaret) tanquam Philosophus publice Aristotelis moralia et politica explicare coepit, et in intima philosophia depromere consueverat[7]), multa humanitate condire. At postmodum quum se Goclenius junior ad Mathematicas disciplinas tractandas contulisset, anno MDCXII mense Decembri in Philosophorum ordinariorum classe collocatus in

---

1) Sic Dil.; leg. *Cosmopolita.*

2) Obiit Cath. Dulcis Pistorio teste d. VII Jun. a. 1626; Album acad. d. VI exhibet.

3) A. 1607 eum in Collegio Mauritiano praeside Mauritio Principe theses mathematicas defendisse, Cassellis typis exscriptas, tradit Rommel Gesch. v. Hessen VI. p. 485. Marburgum transiit a. 1609. Striedero teste antea Helmstadii mathesin professus erat.

4) Locus imaginis.

5) Alia non attulit Dil., sed spatium vacuum reliquit. A Striedero unus praeterea commemoratur ejus liber, Euclides germanicus, Jenae a. 1628 editus.

6) Locus imaginis.

7) Haec verba corruptela laborare videntur.

abstrusiore Philosophiae parte, quae in investigandis rerum naturalium caussis vertitur, intendit atque defixit animum, et Logica docenda versatus est anno MDCXXII Academiae Rector. Inter lucubrationes ejus *Antidoti libri duo*, *Metaphysica* et *Physica* succincta prorsus pertractata methodo et omnis generis melimelis philosophicis conspersa. Spes tamen est, si porro superstes sit, fore, ut, quia in disserendo prudentissimus et in exercitationibus laboriosissimus est, multa in Theologicis et Philosophicis elaboret, quibus fontes ipsi aperiuntur [1]). In ipsius effigiem Eglinus:

In Physica et Logica exactus Combachius arte
Joannes, facie hac conspiciendus erat.
Et studio Patrum et Scriptura vique loquendi
Theiologus verus Philosophusque sacer.

Joannes Pincier M. D.

Joannes Pincier natus est Wetteris anno MDLVI patre Theophilo ex antiqua apud Wetteranos, antiquiore apud Bidecapenses Pintzigerorum familia oriundo [2]), matre Susanna a Saxen prosapiae Marpurgensis haud plebeiae nec minus antiquae. Literarum rudimenta in patria posuit, in qua pueritiae annos vix egressus utrumque parentem amisit et orphanus Marpurgum missus est, ubi sub Justi Vulteji patrui, tum temporis paedagogiarchae, ejusque collegarum disciplina studiorum continuavit cursum, donec ad auditoria admitteretur publica. Hisce per unum atque alterum frequentatis annum suasu patrui sui Joannis Pincieri J. U. D. praefecti Epsteinensis Heidelbergam se contulit, Medicinaeque animum applicuit. Jactis in ea fundamentis mediocribus ad celeberrimum ejus aetatis chymicum Adamum Keckium Pharmacopoeum Francofurtensem chymicorum undique ad ipsum ex longinquis regionibus confluentium, inter quos Petrus Severinus et Joannes Pratensis, Dani, fuere et Thomas Muffettus, Anglus, hospitalissimum receptatorem divertit, annoque in utraque ejus officina exacto Heidelbergam revertit. Non longe post dissipata Illustriss. Electoris Palatini Friderici tertii obitu Academia Generosum Dom. Paulum Gieraltovium per Bohemiam in Poloniam comitatus est, apud quem in ducatu Zatoriensi quadriennium eximia viri humanitate detentus transegit, linguamque gentis eatenus addidicit, ut et versus Polonicos pangeret haud infeliciter, praxeos interim medicae tyrociniis non intermissis, simulque quasi παρέργως Italicae linguae initiis assidua lectione perceptis. E Polonia redux pristinum Adami Keckii hospitium repetiit ejusque commendatione in familiam familiaritatemque D. Joachimi Camerarii Medici Noribergensis insinuavit sese. Per hunc Erasmo Neustettero Decano Combergensi canonico, Bambergensi et [3]) Herbipolensi innotuit, in cujus aula Combergae prope Halam Suevorum aliquandiu degit. Is ultro sumptus ei ad peregrinationem in Italiam, Galliam, Hispaniamque uberiorum in arte Medica progressuum ergo suscipiendos [4]) obtulit, eosque gratuitos, quod beneficium etsi Pincierus haud aspernaretur, accipere tamen certis de caussis dubitavit immemor illius Terentiani: Abs quovis homine, cum

---

1) Multas disputationes thesesque et Marburgi et postea Cassellis edidit. Nam postquam a. 1624 Darmstadinis provinciam et Academiam occupantibus dimissus paulo post in ecclesia Felsbergensi pastoris munus susceperat, a. 1634 ad Academiam Cassellas translatam rediit, ubi theologiae et philosophiae professoris munere, interposito quinquennio in gymnasio Bremensi exacto, usque ad vitae finem a. 1651 functus est.

2) Cod. *oriendo.*

3) Imago Pincieri.

4) Sic Dil., non, quod forsitan exspectaverit aliquis, *suscipiendam.*

doctrinae incunabulis ad legum, morum jurisque scientiam in Marpurgensi Academia defluxit, quam deinceps in Galliae et Italiae Academiis limavit omnino politius et perlustrata etiam Africae insula Maltha, quae hodie Christiani orbis velut propugnaculum quoddam est, rerum ipsarum usu, quem e longinquis adeo collegit peregrinationibus, confirmavit porro. Caeteroquin ex hisce itineribus redux quum anno MDCXV Martii XXIX oratione lugubri habita promptam et paratam in perorando operam ostendisset, XXI Maji in Professorum asscriptus numerum Oratoris simul ac syndici munus curare jubetur. Ideoque Junii XIV oratione de more lectionem auspicatus, XX mensis ejusdem a Goeddaeo J. U. Doctoris honoribus ornatur et simul cum Matthaei Wesenbecii nepte nuptias celebrat [1]). De imagine vero Schonfeldii Eglinus:

Rhetora Schonfeldi formans paris ora diserta,
Consultus, Catta Syndicus inque schola,
Ut cognominis es, columen sic grande parentis
Affecti, expressa nosceris effigie.

Jacobus Thysius,

Legum Licentiatus,

Antuerpianus patria primis literarum fundamentis in patriis Gymnasiis et Lovanii jactis ad spem uberioris doctrinae Marpurgum primo atque dein Heidelbergam, Ingolstadium et visitatis Galliae et Pannoniae locis compluribus, Paduam Italiae commigravit. In quibus Academiis quum Poeseos et linguarum Latinae, Italicae, Gallicae, Hispanicae sibi comparasset experientiam sane egregiam, eo scientiarum illarum encomio Hessorum principi Mauritio commendatus [2]) atque in aulam vocatus, cum per annos viginti inservisset partim in munere bibliothecario, partim in linguarum exoticarum interpretatione, anno MDCXV ab ipso principe Historiarum et Poeseos professor constituitur publicus mense Majo, ut succederet Kirchnero. Hic quum anno MDCXX dimissionem petiisset, eam impetravit [3]). Hinc illi haec Fabronius:

Thysius ingenio praestans atque artibus illis,
Queis populi ac procerum conciliatur honos,
Germanos, Italos, Gallos et Panonas inter
Romanae increpuit plectra sonora lyrae.
Linguarum interpres bis denis claruit annis
Mauritii Hessorum Principis obsequio.
Post toto historias per pulpita docta professus
Marpurgi lustro non sine laude fuit.
Inde senex Belgas repetit, sint caetera curae,
Cujus cura fuit, vita fidesque Deo.

At in effigiem ejusdem Eglinus:

Thysius Historiae vindex Latiaeque medulla
Calliopes, puri deliciumque styli,
Linguarum interpres variarum, Jureperitus,
Belgarumque decus, frons quod aperta notat.

---

1) Anno 1624 munus syndici consistorii Cassellani adiit; mortuus est Cassellis a. 1625.

2) Thysii imago.

3) Professoris munus in collegio Adelphico Mauritiano Cassellis suscepit, ubi a. 1628 mortuus est. Principi a secretis et a bibliotheca fuerat, priusquam professoris munus in acad. Marburg. subiret.

Christianus Sturmius
Math. Prof.

Hunc Gudensberga, inferioris Hassiae oppidum, protulit anno Ch. MDXCVII Janu. VIII inter VI et VII horam vespertinam, patre Casparo Sturmio, postea Marpurgi Theologiae Professore. Hic postquam prima literarum fundamenta in patria schola jecisset, cum parentibus anno MDCV Marpurgum profectus est ibique inchoatum studiorum suorum cursum in annum usque DCIX protraxisset[1]), quo eodem anno parentum consilio Heidelbergam se contulit, eo animo ut post annum ibidem exactum ad alias etiam Germaniae exterarumque nationum Academias ablegaretur. Quoniam vero interea temporis horribili bellorum incendio non Germania solum tota, sed regiones etiam finitimae ardere incipiebant, adeo ut nullibi totum peregrinantibus pateret iter, a parente Heidelberga avocatus Marpurgum rediit ac inde jurisprudentiae et Philosophiae studium usque ad MDCXXI annum studiosi industrii more continuavit. Ingenium ei virtutis omniumque laudabilium artium amantissimum attribuit natura, unde in primis pubertatis annis Philosophiae, cumprimis vero Mathematicarum disciplinarum ac Poëseos, quaeque his affinia sunt, amore atque desiderio tenebatur summo, iisque assidua cura ac studio indefesso quam ardentissime noctu dieque invigilabat. Postea cum jucundis istis animi oblectamentis fructuosius et utilius Jurisprudentiae studium conjunxit, ac in utraque facultate, quamvis juvenili adhuc floreret vigore, eo progrediebatur, ut viri ex omni parte eruditi laudem in virili maturitate se impetraturum speraret et confideret omnino. Itaque anno Ch. MDCXXI[2]), aetatis vero XXIV completo, postquam ex praemissa studiorum ac eruditionis exploratione huic provinciae sustinendae sufficiens et idoneus judicatus esset, ad publicam et ordinariam Mathematicarum artium[3]) professionem Marpurgi admissus est. Quo etiam anno connubiali astrinxit sibi vinculo honestiss. virginem Martham, D. Joannis Kleinii J. C. et Advocati Cassellani filiam, Regn. Sixtini neptem, quae tamen proxime sequenti anno morte obiit immatura[4]). Imagini Christiani haec Eglinus apposuit:

Sturmius insignis primaevo in flore professor
Christianus cani vera propago patris,
Laude Mathematica excellit, quem Jureperitum,
Et Vatum vatem haec dulcis imago refert[5]).

1) Sic scripsit Dil.
2) Manifesto errore Dil. scripsit MDXXI.
3) Locus imaginis.
4) Ipsum obiisse dicit anno non addito Pistorius, cujus Propylaeum editum est a. 1665.
5) Subsequuntur complures scidae vacuae quidem, sed lineis circumductis ad continuandas vitas accommodatae.

Von Herrn Professor Dr. **Jul. Caesar** sind bei uns erschienen und in allen Buchhandlungen zu haben:

Die Grundzüge der griechischen Rhythmik
im Ausschluss
an Aristides Quintilianus.
gr. 8. 19 Bogen br. Rthl. 1. 10 Sgr.

Hyperidis oratio pro Euxenippo
et orationis pro Lycophrone fragmenta.
Cum adnotatione critica
in usum scholarum academicarum
ed. **Jul. Caesar.** br. 6 Sgr.

Hegesippus
qui dicitur sive
Egesippus de bello Judaico
ope codicis Cassellani recognitus.
Edidit
Carolus Fridericus Weber
opus morte Weberi interruptum
absolvit
Julius Caesar.
4. br. Rthl. 3. 15 Sgr.

Der Prometheus des Aeschylos.
Zur Revision der Frage
über seine theologische Bedeutung.
br. 10 Sgr.

De carminis graecorum elegiaci
origini et notione.
br. 10 Sgr.

Ein Beitrag zur Charakteristik
Otfried Müllers als Mytholog.
Sendschreiben an Professor Welcker in Bonn.
br. 3 Sgr.

Marburg, im November 1866.

N. G. Elwert'sche Universitäts-Buchhandlung.

Stanford University Libraries
3 6105 010 474 158

STANFORD UNIVERSITY LIBRARIES
CECIL H. GREEN LIBRARY
STANFORD, CALIFORNIA 94305-6004
(415) 723-1493

All books may be recalled after 7 days

DATE DUE

OCT 4 1999